









5799  
81  
M. IO. CHRISTIANI SCHVLZII

BORGESDORFFIO-SAXONIS

# SABBATVM

ID QVE IN PRIMIS

# MYSTICVM

IN QVO

I. NON SOLVM EA QVAE CIRCA SABBATVM

SELECTIORIS SVNT ARGVMENTI

TRADVNTVR

II. SED MYSTICAE QVOQVE POTISSIMVM

SABBATI RATIONES AC RECONDITI NVTVS

QVI SVBLIMIOREM OMINANTVR QVIETEM

E SEDIBVS CRITICIS STUDIOSE

ERVVNTVR

56 1534



VITTEMBERGAE

EX OFFICINA SCHLOMACHIANA

M DCC XLI





## P R A E F A T I O.

**G**rande, non inficiar, suscipio negotium, mysticum in primis Sabbati significatum, in sacro uolumine delitescentem explicaturus. Diuinioris enim sapientiae, qua coram omne humanitatis acumen plene habebit, occultos in sanctificatione diei septimi respectus ac nutus exponere meditor. Neminem facile noui, qui de eximio hoc arguento, ex instituto et copiosius fuisset commentatus. Inde larga adhuc messis superstes uidetur, in quam falcam immittere omnino licebit. Inter Iudeos quidem iam exstitere, qui sublime aliquid in Sabbatho latere tradunt; sed haud omnes Marte felici exponunt. Perpauci enim sciunt, quid sit non ineptive, plurimi autem illud ignorantes effari solent, quicquid ipsis in buccam uenerit. Nam post deplorandam Israëlis reprobationem, familiare est huic genti, mortalium ludibrio expositae, rugas ac ineptias uendere, ingenium nundinari, sapientiam magna soliditate implicare, ita, ut prouerbio res iam increbuerit: Scripta Iudeorum, bullaris turgescere rugis. Sabbati dignitatem ac reverentiam, ut probent hi nugarum artifices, flumen quoddam excogitatur.


runt Sabbaricum, quod teste IOSEPHO \* habeat Davuas in idiorum,  
quippe quod soleret interpositis sex diebus a fonte deficere et siccum  
exhibere solum; Septimo uero die simile exoriri, et hunc ordinem  
accurate semper seruare. Haec autem sordida credulitatis figura,  
suis relinquimus conditoribus, cum genuina antiquitatis et histori-  
rum monumenta, istius mendacii nullam plane faciant mentionem.  
PLINIVS quidem memoriae tradidit, in Iudea riuum quendam omni-  
bus Sabbatis siccari \*\* et quiescere; sed testimonium eius, negante  
et contradicente IOSEPHI narratione, haud curae cordique habetur.  
Quid uero Romanum scriptorem deceperit, paucis expediam. Iudei  
iam olim fabulabantur, reliquias decem tribus Israëlitarum captiuas  
detineri prope fluuium, quem ipsi Sambationem vocant. Hunc per  
totam septimanam adeo rapidis uorticibus ferri aiunt, ut nemo queat  
transire: at Sabbatis quiescere et pedibus peruium esse: bancque  
poenam Israëlitis esse postquam, ut, quo tempore undarum impetus  
constitit, Sabbati eos ueneratio inhibeat et pedem mouere ueteret.  
Ita libertatis uiam illis ante oculos positam esse, sed uti peius crucientur.  
AVGVSTINI sententia magis sobriam ingenii indolem sapit, aientis:  
Inuenies septimum diem sine uespere, quod requiem sine fine signifi-  
cat.\*\*\* In praesenti ea potius, quae circa Sabbatum accurata considera-  
tione, digna uidentur, bisce explicabo paginis, quo, discussa supersticio-  
nis, errorum almae matris caligine, ueritas in lucem emergat. Quod si  
conatus mei singulis probantur eruditis, fortunae debeo beneficium;  
sui minus, quorundam tamen, in primis qui sine partium studio, alienos  
labores sub censuram uocare solent, suffragia me esse consecutu-  
rum confido. Quare sententiam aliquam publice aperire licebit,  
quam expendat BENEVOLVS LECTOR, et de illa tandem,  
ut par est, statuat. Et ne hoc molimen uires exceedere aliquis du-  
bitet, sine ulteriori ambage eas tentatum ibo. Tu Numen  
Propitium faxis, ut curriculum absoluam  
feliciter.

\* Lib. VII. de Bello Iudaico c. XXIV.

\*\* Histor. Lib. XXXI. c. II.

\*\*\* Epist. CXIX. ad Ianuarium.

## SECTIO



## SECTIO I. PRAELIMINARIS.



ysticum in primis Sabbati significatum, hic iri expositum, in fronte huius tractationis inscribitur. Ideo opportunum uidetur, ut, antequam ipsum adgrediar argumentum, interpreter, quid per *mysticum* interpres intelligent sensum. Vocabulum *Mysticōs* ex Graiorum litteris deriuari omnino debet. Adhuc autem sub iudice lis est, utrum a *Mūō*, an uero a *Mūēō* suam acceperit originem. Parum refert, qualicunque subscribas sententiae. Haec enim opinionum diuertia facillimo negotio conciliari queunt. Qui uocem *Mysticōs* immediate a *Mūō* cum RAMBACHIO a) deducunt, non omni destituntur fundamento. *Mūō* enim *claudere* et *occludere* significat, et orans sensus mysticus occlusus quasi et absconditus humanae rationi uidetur. Proprie *Mūō*, de ore ac *labris*, quando clauduntur adhibetur, ut *uox atra squata*, sint ora *clausa*. b) Impropie etiam de *oculis* adhibetur et tunc *connuere*, ARISTOPHANE, LVCIANOQUE testibus, commode significat. Alii uocem *Mysticōs* a *Mūēō* deducere malunt, quae in scholis Graecorum et *religiosa Deorum sacra scire* aequē ac *dotere*, et deinceps *occulta tradere* innuit, quia sacrī prisorum, multa arcana et abscondita ingenium vulgi transcendentia, fuerunt admixta, quorum plerique, sacerdotes et mystas si excipis,

A 3

fue-

a) In Institut. Hermen. p. 67.

b) PLATO in Phaedr.

fuerunt expertes. Inde factum est, ut uox μύειν, occulta et a profano et uulgari commercio remota docere significaret. Quamcumque autem amplecteris deriuationem, nihil significatiui uocis Μυστικὸς detrahes. μύειν enim uoci μύω suam debet originem. Nam huius formationis genus Ionibus est familiarissimum, ut uerbo cuidam dissylabo, uocalem inserant, eique tunc tribuant significatum, qui a primaeuo paullisper deflexit. Idem EVSTATHII confirmatur suffragio, quando μύειν factum dicit, a μύω, quoniam τοῖς μύσας necesse sit, μύειν τὸ σόμα καὶ μὴ ἐνθάψειν, ἀ μεμόντας. Et HESYCHIVS inquit: Μύσης παρὰ τὸ μύω, τὸ καμμύω. Μύστες γὰρ τὰς αἱδήσεις καὶ ὅξει τῶν σαρκιῶν Φροντίδων γνόμυσοι, ἔτω τὰς Θείας αὐαλάμψεις ἐδέχοντο. h. e. Μύσης dicitur a μύω, quod est καμμύω, oculos clando. Suos enim sensus quasi claudentes et ab omnibus curis carnalibus liberi, ita diuinias accipiebant illustrationes. c) Quibus PLVTARCHVS etiam assentitur: Σοφὸς γὰρ, inquit, ἐνκαρος στύγη, καὶ διὰ τύπον, τὰς μυστηριώδεις τελετὰς d) εἰ παλαιοὶ κατέδειχαν. h. e. sapiens enim tempestiuum silentium, ac propterea arcana sacra ueteres instituerunt. e) Ήμέραι uero μυστικὰ sunt dies religiosi apud ueteres, quia tunc sublimia et occulta celebrabantur sacra. *Mysticum* itaque in genere id dicitur, in quo aliquid mysterii seu occulti delitescit. Cum autem res sacrae non cuiusuis aspectui fuerunt expositae, ne reuerentia ac religio eorum uilesceret, contigit, ut τὰ μυστικὰ, rebus usu profano ac uulgari tritis, opponerentur et rem sacram et diuinam denotarent. In primaeua ecclesia uox μυστικὸς a Patribus ciuitate fuit donata, arcanos et sublimes si sacri sermonis respectus nominare et exponere conabantur. Quae denominationis ratio, nostra quoque aetate iam dudum inualuit. Per mysticum itaque sensum seu significatum, non intelliguntur hic loci, in genere fidei christianaे mysteria, quae ex litterali sensu, in suis sedibus et palmariis Scripturae oraculis depromuntur, quamvis non negemus, quod, phrasis: *mysticus sensus*, si generaliter sumi-

c) SVICERVIS in Thesauro Ecclesiast. T. II. p. 381.

d) Vox τελετῆ est uocabulum Hieraticum et arcanorum factorum functionem significat, horumque mysteriorum periti, Telestae appellabantur. Iisdem suffragatur uetus Inscriptio Thyatiris inuenta, ubi uerbo ἐπιτελέω, arcanā obire sacra innuitur. Vid. Auctores ANTIQVO-NOVORVM THEOL. ad Annum MDCCI. p. 17.

e) De Puerorum Educatione P. II. c. XVI.

sumitur, quoduis dictum mysterium coeleste proponens, mysticum habere sensum dici queat, ipso suffragante PAVLO i. Cor. II, 6, 7. Rom. XVI, 25. sed *in specie*, talis quorundam Scripturae locorum sensus seu conceptus, qui non proxime per uerba, sed per res uel personas uerbis designatas a Spiritu S. intenditur. e) In qua significacione etiam saepissime uox μυσήμον adhibetur, ut quidam reconditus rei sacrae respectus interdum μυσήμον appellatur, Eph. V, 32. Apoc. XVII, 7. sive μυσήμον, in Synonymum mystici sensus euadat. Idem quoque sentio, si de mystico Sabbati significatu differam, talemque intelligo sensum, quem coelestis Sapientia externo et terreno Sabato indidit, simulque ad rem quandam sublimiorem in fo-lemni septimi diei consecratione, recondito quodam nutu sapienter respexit.

## S E C T I O N I .

## S A B B A T O I N G E N E R E.

## §. I.

**O**perae pretium esse existimo, multiplices uocis *Sabbati* significatus, in sacris pandectis obuios, diligenter depromere, ut omni aequiuocatione sublata, proprius isque primarius uocis *Sabbati* sensus eo facilius percipiatur. Fuerunt, qui de origine uocis nimis ieiune sentiunt. PLUTARCHVS, hic nimiae ignorantiae se fecit reum, Sabbathum deriuans a σαβδίειν, h.e. *tripudiare et genio indulgere*. Existimat enim, Sabbathorum significatum non esse alienum a Baccho, quod Bacchi etiam apud Veteres uocitentur σαβοῖ. a) PONTINVS et LACTANTIVS *Divin. Instit. VII.* Sabbathum a שׁבָת *septem*, deduci arbitrantur, sermonis sacri plane rudes ac expertes. Orta autem haec uox est, a uerbo שׁבַת, quo Ebraei, tranquilla frui quiete, indigitant. Significat uox *Sabbati*: 1) Septimum sacratumque cultui diuino diem, quem Praepotens Numen sub mundi auspiciis, religiosa benedictione sanctificatum, rite uult obseruari, ut non solum

e) RAMBACHIVS in *Diss. de Criteriis sensus mystici p. 6.*a) IV. *Sympof.*

lum in eo externa laborum seruitia ac onera cesserent, sed religiosum etiam cultus diuini exercitium ac frequentatio uigeat. Exod. XX, 8. Deutr. V, 12. 2) Quilibet dies festus, quo iussu diuino, Iudei profanis operibus, quiescere tenebantur, Sabbatum appellatur. Leuit. XXIII, 34. 3) Nonnunquam Synecdochice adhibetur in sacris uox Sabbati, pro omnibus illis septem diebus, quorum ultimus est Sabbatum seu pro tota hebdomade. Sic Luc. XVIII, 12. gloriatu Phariseus se bis iejunare in Sabbato, i. e. in hebdomade, nempe die secundo et quinto, h. e. Lunae et Louis. b) Aliquando omnes dies unius hebdomadis uocantur Sabbata, ut Math. XXVIII, 1. Marc. XVI, 9. Primo Sabbatorum apparuit Mariae Magdalena, i. e. prima die septimanae. ἐψὲ δὲ σαββάτῳ, h. e. cum iam transisset hebdomas. τῇ ἐπιφωσησῃ εἰς μίαν σαββάτῳ, illucescente in primam hebdomadis scil. ἡμέρᾳ, die, uel ut alii ὥρᾳ, hora. Sensus est: die uel hora illa, quae illucescebat, ut esset dies primus hebdomadis. Μίαν πρώτην inuenies Gen. I, 5. 1. Cor. XVI, 2. conf. Marc. XVI, 9. 4) Ipsa quoque sacrificia diebus Sabbati immolata, dicuntur Sabbata. Leuit. XXIII, 38. Praeter Sabbata Domini, praeter dona uestra, praeter uota uestra, et praeter cuncta uoluntaria uestra. 5) Sabbatum terrae notatu dignum est. Nam Leuit. XXV, 3, 6. iussit Deus Israëlitas, tantum sex annis colere rura, septimo uero agros relinquere otiosos et incultos. 6) Sabbatum septimanarum annorum ibidem explicatur u. 8. quod complectebatur XLIX. annos, quibus finitis erat Jubileum, quo, possessionibus ad pristinos redeuntibus dominos, aere alieno remisso, mancipiis in libertatem vindicatis, rei familiari pristina reddebat facies. 7) Denique iter Sabbati praeterire haud licet. Est illud spatium uiae, quantum licuit Iudeis sine peccato, tempore Sabbati confidere. HIERONYMO et ERASMO testibus fuit *spatium bis mille passuum*, sic enim hic ad Act. I, 12. annotauit: LUCAS „ibi per iter Sabbati intelligit *spatium bis mille passuum*. Longius Iudeis iter facere et in viam se dare nefas habebatur. Iter Sabbati Iudeis duplex fuit, maius nempe et minus. Maius MOSSI coaeuum XII.

b) Volumen Ieiunii fol. LIV. col. 2. Amplius decreuerunt Magistri nostri, ut ieiunaretur diebus, secundo et quinto, propter tres res, uidelicet propter destruclum templum, propter legem conflagratan, et propter prebrum diuini Nominis. Vid. CASAVBONVS in Exercit. contra Baronium p. 63.

XII. milliaribus constabat. c) Minus MM. cubitos conficiens, maxime tritum in Iudeorum scriptis celebratur, et hoc innitur fundamento, quia illud erat spatium, arcum foederis quondam et castra Israëlitarum distinguens. Ios. III, 4. Potest et SVIDÆ testimonio omnino corroborari, qui in *Onomastico Graeco*, σαββάτος ἔχον δόν, per uerba διεγέλων πήχασσον ή, interpretatur. Nec non Chaldaea Paraphrasis, idem Ruth. I, 16. suo suffragio eleganter confirmat, ubi Naomi inquit: אַתְּפָרְנָא לְמֹפֵר שְׁבָא יְוָמִי טְבָא בָּרוֹל רְלָא לְחַלְכָא *Iussi sumus obseruare Sabbathum et dies bonos, ad non eundum ultra bis mille cubitos.* Hoc testimonium Chaldaeus interpres de itinere Sabbatico, maximi facio, id quod tamen uiae Sabbaticae interpretes solent praeterire silentio. Assentitur praeterea HIERONYMVS: *Iudaci enim, inquit, religiose cauebant, ne iter facerent Sabbathum, supra bis mille passus, ex institutione Barachidae, Simonis et Hellis Rabbinorum, quos illi Magistros nostros appellitare soliti sunt.* d) Huc Christi etiam monitum spectare uidetur, aientis: προσένυχθε, ἵνα μὴ γένηται ἡ Θυγὴ δύσων εἰς σαββάτῳ, rogate, ne fuga uestra fiat in Sabbatho. Math. XXIV, 20. Virgente quidem necessitate, itineris Sabbatici praeceptum, rite omnino tollitur, cum sit humanae auctoritatis institutio, et si laude sane digna; sed uerebatur Optimus Saluator, ne ex gente iudaica sacra Christianorum confessi et paternarum traditionum adhuc tenaces, religioni sibi ducentur, Sabbatho ultra bis mille cubitos in viam se dare et fuga salutem quaerere. Præcepto enim itineris Sabbatici seruato, facile accidere

B

potuit,

c) Lubet hic Celeberrimi LIGHTFOOTI Observationes ad Act. I. in horis Ebraeo-Talmadicis p. n. adiicere: *Castrum Israëlearum*, inquit, erant XII. millaria. Supponitur igitur licuisse cuiuslibet ambulare Sabbatho, non solum ab extima simbria castrametationis ad tabernaculum; sed et per totam castrametationem, ab hac eius extremitate ad illam. Hinc est quod talis mentio apud Maimonidem de XII. milliaribus et de licentia incedendi Sabbatho, per totam urbem aliquam, sit licet aequa spatiofa ac Niniueb. Licet etiam ei incedere extra ciuitatem ad bis mille cubitos ab unoquoque latere. Maimonides, Schabb. c. XXVII. Syriaca

uersio Act. I, 12. habet: circiter septem stadia,

quae cum parte dimidia octaua stadii, MM. cubitos conficiunt. Vid. SVIDAS l. c. MM. cubiti autem constituent milliare, teste CASTELLO in Lexico Heptaglott. col. 2047. d) Epist. CLI. ad Aligium, qu. X.

potuit, ut multorum uita, hostium furori ac saeuitiae exponeretur. Dubia circa Act. I, 12. et Luc. XXIV, 50. mota. e) IONSTONIUS in Libro *de Festis Ebraeorum et Graecorum* eruditè dissoluit.

§. II. Prima significatio uocis Sabbati, a nobis hic loci potissimum attenditur, atque Deus diem septimum, ideo solenni consecravit benedictione, ut esset a) *signum memoriale creationis* et initii rerum omnium, id quod inculcatur Exod. XX, 8, 10, 11. *Memento*, ut diem Sabbati sanctifices. *Memento*. f) enim illud, Deus non sine causa praemittit; sed ut in memoriam reuocet, et a se hunc mundum sex diebus conditum esse, et a primordio rerum, iam diem septimum fuisse sanctificatum. Clara insuper est in textu distinctio, inter quietem ipsius Dei et benedictionem ac sanctificationem diei septimi, tanquam inter caussam et effectum. Deus quievit g) die septi-

- e) Notetur: Verba Euangelistae non definire ibi accuratam distantiam Oliuerti ab Hierosolymis, quae erat tantum V. stadiorum, JOSEPH. Antiquir. Lib. XX. c. VI. Nec reducunt Bethaniam oppidum, ad et intra limites Sabbaticos, quae distabat stadiis quindecim, Ioh. XI, 18. sed designat locum in Oliueto, ubi Saluator ascendit, illic scilicet ubi desit tractus iste Oliuerti uocari Bethphage, et incepit uocari Bethania.
- f) Deus Sabbati praeceptum inculcatur, elliptica quadam loquendi ratione uitur: זכור recordari diei septimi. Sic Deutr. V, 12 שְׁמֹר custodire diem Sabbati. *Infinitius* utrobique inuenitur, cum tamen Imperatius adesse debuisset. GLASSIUS in Philogilia S. Lib. III. Traß. III. can. XLIV. existimat: *Infinitum* hic pro *Imperativo* esse positum; sed non dubito in eo ab isto diffentire. Emphaticum potius dicendi genus hic loci inuenio. *Imperatius* enim uel *Futurum* iuxta *Infinitum* subintelligitur. Refero hanc dicendi rationem (commendante id ebraeae linguae genio) ad Ellipses vocum, ex uocibus *Coniugatis* eruendarum. Quare ira h. l. explicatio debet institui. שְׁמֹר i. e. זְכָר recordando recordare, uel recordaberis, i. e. studiose recordare. Emphasis enim haec in ellipsi delitescit, quia *Infinitius* Kal non habet + sub prima, nisi in uerbi reduplicatione.
- g) Quies Deo ανθεποναθᾶς tribuitur Gen. II, 2. ideoque θεοπέπως intelligenda est, ut non defatigatio quaedam (uti in hominibus) praesupponatur; sed mundi operis illius admirandi et machinae incomprehensibilis, complementum finis ac perfectio, Deique a completae creationis opere cessatio, phrasi ea innuat. Quidam proprie שְׁבַת Deo tribui aiunt, cum non quietem, (uti פְּנֵי) sed simplicem cessationem ea uox significet, Ios. V, 12.  
lob.

septimo יְלִכּוֹן idcirco benedixit eidem eumque sanctificauit, ne il-  
lustris creationis memoriam sordida interciperet obliuio. β) ut eo die  
cultui et rebus diuinis operam demus, γ) ut corpus uacet ab operibus  
suis, δ) ut Sabbaticus dies, typus effet aeternae quietis, aeternaque  
ominaretur gaudia, quibus tandem post obitum perfruemur in caelo.

§. III. Sunt uero circa Sabbati celebrationem *tria* potissimum  
obseruanda: 1) quatenus ad legem naturae, 2) ad legem positivam  
uniuersalem et denique 3) ad caerimonia instituta pertinet. Pri-  
mum, religiosa Sabbati solennia, principiis iuris naturalis, quod hu-  
ius uniuersi artifex naturae sapienter concreauit, innituntur. Quili-  
bet enim homo recta ratione praeditus, quamvis diuinum revelatio-  
nis afflatum, Numen non inspirasset, tenetur, aliquid temporis re-  
ligioni cultuque diuino tribuere, certumque temporis spatium ad  
colendum creatorem eligere, et a profanis manuum laboribus sepa-  
rare, ut sublatis laborum impedimentis, omni cogitatione in Deum  
honorandum feratur, sacraque faciendi, promptior aptiorque euadat.  
Tempus uero et dies huius Sabbati, an praecise sit septimus, aliasue  
uel propinquior uel remotior, ex iure naturali determinari nequit.  
Illud rationis suppeditatur dictamine, tempus quoddam esse eligen-  
dum, quod frequentius repetitum saepius reuertatur, ne in sacro  
Numinis cultu, humanum ingenium, languore tarditateque sorde-  
scere uideatur. Quare homines ex rationis ratiociniis, uel diem  
sextum uel octauum, uel aliud temporis spatium, non tamen maxime  
remotum, Numini, publico consensu sacrum litare potuissent aequre  
ac debuissent, nisi ipse Deus de die septimo sanctificando legem pro-  
mulgasset uniuersalem. Secundo, quatenus Sabbati celebratio in diem  
quendam septimum hebdomadis incidit, eatenus ex iure naturae de-  
duci nequit, sed lege positiva uniuersali, Deus septimum quemque

B 2

diem,

Job. XXXII, 9. et plerumque, qui ab opere cessat, quiescere dicatur, etiam si  
non sit corpore fessus. Quicquid sit; at pro שְׁבַת usurpatur נָחַן Exod.

XX, 11. cum de eadem quiete Dei, post opus creationis absolutum, sermo  
est. Quod si et hoc uerbum, pro simplici cessatione, absque praevia defas-  
tigatione usurpari dicatur, I. Sam. XXV, 9. notandum apprime, quod  
Exod. XXXI, 17. uerba MOYSIS ante posita ita efferantur: et in die septimo  
(Deus) שְׁבַת וְיַגְנֵפֶשׂ quieuit et respiratione. Verbum שְׁבַת de seruo recreante  
se, post defatigationem cap. XXIII, 12. adhibetur.

diem, periodice per VII. redeuntem, ad mysteria facienda sanciuit, sanctificauitque. Consecratio huius diei cum incunabulis mundi quidem obtinuit, atque cum ipsa natura naturata; minime tamen ad leges naturales potest referri. Tota enim creatio, nataleque mundi tempus, quo sapientissimus opifex, creature condidit atque produxit, homini ad reuelationis testimonia non attendenti, est incognitum. Inde quodcumque ualet de *toto*, ualet etiam de parte *totius*. Quodsi celebratio septimi diei, legibus naturae uniuersalibus sancta esset, quisque sine canone sacro, ex natura eam de die septimo legem, perspicere ac cognoscere omnino posset. Iuris moralis positivi itaque est, septimus quisque dies, seu circumstantia septimi diei, indefinite in quoquis orbe hebdomario, post exactos sex laboris dies, undecunque orbem hebdomarium incipias. Etsi uero rationis acumen reconditas illas rationes haud intelligat, quas ob Sapientissimum Numen, septimum quemque diem ad religionem elegere; nihilo tamen minus, uenerari hic coelestem sapientiam, hominem oportet. Homini enim suprema legislatoris uoluntas, pro sufficientissima ratione stare omnino potest, iuxta ac debet. Beatus quidem CHEMNITIVS, b) Theologus eximia eruditione insignis, existimat non esse legis positivae uniuersalis praeceptum, ut septimus quidam in hebdomade dies ad cultum sacrum deligatur, quia nulla sufficiens ratio eluiscat ex lege diuina, quae indicet, uoluntatem Dei, de uno praecise ex hebdomade die, sacris solennibus destinando. Cui sententiae etiam BRENTIVS, i) WIGANDVS, k) HEERBRANDVS, l) DIETERCVS, m) FINCKIVS, n) magna, crede mihi, eruditorum nomina, subscribe uidentur. Veluti enim magna coeli lumina, nonnunquam eclipsin patiuntur; ita quoddam est magnorum etiam ingeniorum deliquium. Argumenta uero eorum non sunt omni dubitatione maiora. Nam (a) leges positivae morales, non ea solum repetunt, quae

b) in Locis Theol. de Lege Dei.

i) Comment. in Exod. p. 480. et in Cateches. p. 501.

k) in Explicatione Catechismi p. 419.

l) L. C. p. 347.

m) in Institut. Catechet. p. 107.

n) Disput. Catechet. VI. n. 10. 12.

quae lex naturalis fuit enixa; sed alia praecipiunt quoque, quae secundum iura naturalia libera sunt atque haud determinata. Sic coniugia inter fratres atque forores, in iure naturae non prohibentur, sed indulgentur, et liberos Adami eiusmodi matrimonia iniisse omnino constat, quod tamen Deus deinceps seuera promulgatione interdixit. Huc quoque arbor scientiae boni et mali spectat, de qua, Adamo insidiis maledicentissimi Spiritus haud seducto, omnes omnino posteri eius sine praeuaricationis reatu edere haud potuissent.  $\alpha)$   
 $(\beta)$  Lex de sanctificando quodam septimo die in paradiſo promulgata, omnes Adami posteros obligat. Nam Adam hanc legem non tantum pro se, sed etiam pro suis posteris, accepit.  $(\gamma)$  Lex haec tota ad caeremonialia referri nequit, quia status integritatis et intole-

B 3

rabile

„Das erste Positiu-Gesetz, inquit GLAEFV: ist das Verbot von den Baum „des Erkanntnusses Gutes und Böses. Das dieses Befehlsweise und nicht „als ein blosses Consilium von Gott gegeben sey, zeigt erstlich die Expressio, deren sich Gott bei der Promulgation bedient, indem er spricht: „wenn ihr davon esset, sollt ihr des Todes sterben; welche Expression ein Imperium oder Geheis anzeigen; wiewohl ich eben darauf nicht viel bauen will, weil im Grund-Text nur das Futurum steht: תְּבוֹנֵת תְּבוֹן, welches nach der Ebräischen Mund-Art, so wohl imperative, als Prophezezungweise: ihr werdet, ausgeleget werden kan, mithin die Sache noch nicht außer allen Zweifel steht. Woraus Herr THOMASIVS schließen will, daß in den Baum des Erkanntnusses eine solche Kraft gespecket, welche den Menschen sterblich gemacht. Welche Meynung schon HELMONTIVS Oper. Lat. edit. de A. 1648. p. 648. et in German. Edit. Tract. vom langen Leben p. 1162. vor ihm gelehret. Es sey daher das Gesetz von dem Baum des Erkanntnusses nicht zu essen, mehr ein natürlich als Positiu-Gesetz, weil es in der Natur des Baums gegründet. Gesetz nun, man räume ein, daß der Tod eine natürliche Connexion mit den Früchten des Baums gehabt; so können doch die übrigen Folgerungen gar nicht stehen, wenn wir die scharfe Execution ansehen, welche Gott dieshalb über Adam und Eva ergehen läßet, da er sie dieshalb aus dem Garten treibt, den Acker verflucht, die Frau unter des Mannes Gehorsam giebt, und ihre Zerr mit Schmerzen verknüpft. Denn gleichwie diese Straffen keine natürliche Connexion mit den Essen von dem Baum haben können, wenn man gleich zugeben wolte, daß schon eine natürliche Straffe, der Tod nemlich, darauf gebaßtet. Also sieht man wohl, daß diese Promulgatio diuina, weil sie neue Straffen nach sich ziehet, keine bloss Repetitio Legis Naturae, oder nur ein guter Rath zu nennen sey, dessen Übertretung gewiß so grosse Folgerungen nicht nach sich ziehen könnte. In Vernunft- und Völker Recht p. 179. seq.

rabile legis caerimonialis iugum inter se pugnant. Quare iure quodam colligo, Adamum, etiamsi in statu integritatis perficitus, in alium quempiam diem, in periodo septenaria non reuertentem, Sabbatum transferre haud potuisse. Existimat quidem THOMASIVS legem de Sabbato esse *particulararem legem positivam Iudeorum*. Verum enim uero, promulgatione huius legis facta, nulla exstitit Iudeorum res publica, inde THOMASII sententia corruit, quae nititur potissimum auctoritate SPENCERI in Libro de Legibus Ebraeorum ritualibus, in quo volumine, multae sententiae periculose, tanquam nigri lemures et horrendae defunctorum umbrae, superstites adhuc oberrant. (d) Haec lex de certo quodam in hebdomade die religioso, in ipsius naturae opificio est promulgata Gen. II. Quodcunque uero cum ipsa coepit natura, (quamvis naturae sit superadditum) illud est iuris uniuersalis constitutio facta et ab homine, absque diuina voluntate non potest immutari. (e) Caerimonialis haec lex tota esse nequit, quia homini in deliciis Paradisi adhuc commoranti p) est manifestata, ubi nullus ad Nouum Testamentum datur respectus. Caerimonialia enim semper, Messiam et Noui Foederis oeconomiam, diuino quodam nutu ominabantur. Quid? quod, plane ea lex abroganda fuisset in N. T. si Totum Sabbati, caeremonialis sit inuolutum, quia praesente corpore, umbrae transuerunt, caeremoniarumque iugo ceruicem offerre haud licet. Viri Apostolici sane, sine dubio, Sabbatum cum umbris Mosaicis sepeliissent, si lex, de die septimo quodam sanctificando, tota caerimonialis fuerit. In CHEMNITII sententiam alii quoque abierunt Viri, quos inter, VATABLVS, ESTIVS, CAIETANVS, BONFRERIVS, TOSTATVS, PERERIVS, HIERONYMVS A PRADO, PRIDEAVX, Wigormiensis Episcopus, GOMARVS in primis inclaruere. Iisdem suffragantur multi Iudei, *iussum Sabbaticum, septem Noachi*

p) Celeberrimus LIGHTFOOT putat: *diem septimum non aduenisse ante lapsum hominis; memorari tamen Sabbati institutionem ante historiam lapsus.* l. c. ad Matth. c. XII. p. 344. Sententia eius, Targumica quadam innititur traditione. In titulo Psalmi XCII. Chaldaeus Interpres dicit: *Creatus fuit Adam uespero Sabbati, ingreditur Sabbatum, cum ille iam peccasset.* Verum enim uero homo non die sexto fructum arboris uetitae decerpit et Gen. I, 31. diuinus Amoenensis memoriae tradit, Deum contemplatum opera sua, approbatissime eorum bonitatem, cui approbationi proxime uesper sexti diei adiungitur, ut hic lapsus hominis nondum factum esse rite colligamus.

Noachi praeceptis accessisse in statione Israëlitarum in Marah <sup>q)</sup> opinantes, uti ex vetero Chronico Ebraeorum *Seder Olam Rabba* dicto, citante ipso SELDENO de *Iure Nat. et Gent.* Lib. III. cap. IX. et ex *Gemara Babylonica ad Tit. Sanhedrin cap. VII.* omnino constat. Hi omnes rem soliditate argumentorum haud librantes, περὶ ἀντι-  
historicam Gen. II. se inuenisse arbitrantur. Quamuis uero προλόγοις,  
seu *Anticipationes* historicas in Annalibus sacris, suffragantibus AV-  
GVSTINORI et GLASSIO, <sup>s)</sup> non denegemus; hic tamen nullus iis-  
dem conceditur locus. Neque enim Deus Gen. II. tantum sanctifi-  
cauit septimum diem, ut a Mose deinceps indicaretur festus colen-  
dus a Iudeis; sed actu festum constituit, colique ab Adamo et po-  
steris praecepit, maxime recordando creationis beneficium, et re-  
spiciendo in primis ad Sabbatum illud aeternum. Sic Sabbati sanctifi-  
catio demum post annos mundi conditi MMCCCCLIII. secun-  
dum FVNCCII in Chronologia et aliorum computum, deducta in  
effectum fuisse. Quae sane prodigiosa esset anticipatio, cuius nul-  
lum simile in Scriptura datur exemplum. Loco anticipationi hic con-  
cesso, dicendum omnino esset, Deum quievisse ab opere suo, de-  
mum post aliquot a mundo condito saecula. Nam cum hac quiete  
Deus benedixit diei septimo, illumque sanctificauit; aut tempus be-  
nedictionis illius idem est cum tempore cessationis, aut male Moses  
coniunxit, quae tanto temporis interuallo fuere disiuncta. Neque  
hoc argumento nostram sententiam pessum dare dissentientes possunt,  
quod scilicet in statu innocentiae omnis labor et opus seruile exula-  
uerit, a quo die septimo non potuissent abstinere. Nam primi ho-  
mines integri, uitiae animalis functiones, etsi sine molestia, obiissent  
et rura Eden coluissent, id quod ex Gen. II, 15. satis superque patet.

Ab

q) Hisce pollicem premit ATHANASIVS, si inquit: τότε καὶ ἀρχὴν ἔχει οὐ τότε  
σαθετές παρατηγοῖς, τυπος etiam (nempe cum aqua in locis defertis e terra  
esse data) initium fūnsit Sabbati obseruatio in Synopsi Scripturae S. T. II.  
p. 64. ATHANASIVM iam olim uirgula notarunt censoria: EPIPHANIUS,  
Haeref. LI. p. 197. CHRYSOSTOMVS, Homil. X. in Genes. THEODORVS  
apud Theodoretum qu. X. in Genes. aliisque uenerandae antiquitatis senes,  
teste SVICERO in Thef. Eccles. T. II. p. 918.

r) Lib. III. de Doctrina Christiana c. XXXVI.

s) Philolog. S. Lib. IV. Tract. II, Obseru. XXVIII.



Ab hacce agricultura et similibus actionibus omnino die septimo uacassent, ut tunc creatori suo redderentur familiariores.

§. IV. Lex de die septimo colendo, licet in iure naturae non praecipiatur; a legibus naturae tamen, ceu *aqua* haec lex approbat. Nam Deus, hac lege morali positua, explicauit atque promulgauit, id quod ius naturae aequum esse cenfet taciteque commendat. <sup>t)</sup> Nam legum naturalium dictamen iubet esse eiusmodi determinata tempora, cultui sacro dedicanda, quae longis interuallis haud disiuncta frequentius reuertuntur. Non quidem negamus, posse hanc legem de septimo die celebrando *naturalem* appellari, sobrie tamen hac loquendi ratione explicata. *Naturale* enim dupli sensu dicitur: I. *Essentialiter*, quod ipsius naturae constitutionem ac essentiam ingreditur, ut leges de non habendis diis alienis, amore proximi, honore parentum, circa quas, ne supremus quidem legislator unquam dispensare potest. II. *Subiectiue*, illud dicitur naturale, quod haud quidem ad essentiam naturae naturatae pertinet, coepit tamen cum natura esse, uel ineft naturae tanquam subiecto, uel ad bene esse naturae spectat. Vt imago Dei homini naturalis fuisse dicitur, subiectiue scilicet et perfectiue. Posteriori modo, lex de septimo colendo die, naturalis dici omnino potest, quia creationi totius naturae, absolute, ultimae instar limae admota, omnes omnino obligat homines. Proprie autem non est naturalis haec lex, quia sublata hac lege, natura detrimenti periculo haud exponitur. Deus posset circa legem de die septimo dispensare si uellet, (circa leges uero naturales in rigore sic dictas nequit) et loco diei septimi aliud quoddam ad sacra facienda constituere tempus. Marc. II, 28. Denique Caerimoniale Sabbati, ante Mosem Magistrum hoc fuit, ut Iudei diem a creatione praeclipe septimum celebrarent, id quod tamen in Nouo Foedere in diem solis seu dominicum fuit translatum.

§. V.

<sup>t)</sup> Auctores ANTIQVO-NOVORVM THEOL. ad Annum MDCCII. p. 785.  
de aequitate diei septimi quoad ius naturae, ita differunt: „Das natürliche  
„Recht gebietet uns, Gott zu verehren, und zwar weil wir es wegen unseres  
„Leibes Nachdurst und ferner unsers durch die Erb-Sünde verderbten Zu-  
„standes willen, nicht allezeit in gehörigen Grad thun können, mit Abwech-  
„selung, so daß man nach einer verlauffenen Zeit, oder Periodo, solches alles  
„mahl wieder thue. Es befiehlt auch, daß solcher Periodus nicht allzulang  
„sey, und würde uns bey genauer Ueberlegung der Umstände, auch die ges-  
„sunde Vernunft, auf die siebende Zahl führen.“

§. V. Tempus uero Sabbatum, non est typus coelestis quietis, quatenus in diem praecise septimum incidit, neque ratione numeri septenarii; sed quatenus est tempus determinatum, quo summa ab huius uitiae laboribus quiete, illustre otium spirante, perfruimur. Nam etiamsi Deus diem sextum in hebdomade aut alium ad cultum sacrum delegisset; idem ille dies alias fieri potuisset typus futurae beatitudinis, immo inter numerum septenarium et Sabbatum aeternum, nulla esset analogia et similitudo, quae tamen inter typum et antitypum esse omnino debet. Numerus dierum septenarius ex aeterno Sabato plane exultat, quia ibi non dantur dierum ac temporum uicissitudines. Septimus quisque dies sine religioso respectu in se haud est sanctus. Nullus enim dies alterum praestantia superat, praecellit, exuperat, ut hic cum superstitione Iudeorum colluvie in *numero* aliquid sacri consecrari possemus; sed accedente sanctissimi Numinis uerbo, res quaedam vulgaris ac communis ab usu profano ad sacram separari potest, et dies quisque septimus uerbo diuino ad religiosam Numinis uenerationem sanctificatus fuit. Quacunque enim hora uerbum Dei docetur, praedicatur, auditur aut in memoriam reuocatur, ea, huius uerbi tractatione sanctificatur, non externi quidem operis beneficio, sed propter uerbum, quo omnes nos ueram sanctitatem nanciscimur. Inde septimus quisque dies benedictioni diuinae, suum acceptam refert sanctitatem. Quodsi, uerbo ad elementum externum accedente, sit sacramentum, etiam ex die vulgari, sacer ac religiosus eodem uerbo diuino effici potest. Quatenus itaque Sabbatum est tempus quietis certum, cultui Numinis consecratum, eatenus est umbra ac simulacrum aeternae quietis, quam Deus omnibus piis beneuole largietur.

### SECTIO III.

DE

## HOMINE AD COELESTE SABBATVM CREATO.

### §. I.

Tantum abest, ut homo primus, intellectu et uoluntate praeditus, huius uitiae gaudia, in terreno paradisi habitaculo, tantummodo per-

C

per-

percepisset, deliciis coelestis saeculi ipsi plane denegatis, ut potius cum hominis natura, statui alterius uitae, omni numero iam absolute, conuenientissima quaedam intercedat familiaritas. Deus enim haud quaquam creavit Adamum, ut in umbris paradisiacis delitesceret, et magno quodam temporis spatio praeterlapso, in infelicem essentiae suae annihilationem, aliquando rediret; sed Deus hunc in finem hominem condidit, ut explorato in creatorem suum obsequio, ad supracoelestia tandem transiret sidera, et ad infinitam Numinis gloriam, quantum in naturam hominis cadit, proximius accederet.

§. II. Quodsi Deo haud curae cordique fuisse, hominem ad maioris perfectionis, quantae, limites naturae omnino concedunt locum, fastigium euhere, suae ipsius essentiae excellentiam negaret, et finibus suis non conuenienter ageret. Perfectissimum enim Numen, suis perfectionibus inconuenienter agere, suaeque bonitati labem affricare nequit. Optimum uero Numen, secundum suam, qua pollet bonitate, creaturem omnis felicitatis, quam essentiae limites capere permittunt, participes facere, easque in propriae felicitatis societatem afflumere studiose satagit. Nam ideo Deus dicitur bonus, quia pro bonitate sua, suam, qua fruitur, felicitatem cum aliis communicare studet.

§. III. De natura uero Adami integra meditantes, non possumus, quin eam maioris perfectionis capacem fuisse afferamus; quin Adamum sublimius felicitatis fastigium ascendere potuisse intelligamus. Potuit homo in eiusmodi statum translocari, in quo limites naturae humanae, maioribus circumuallantur viribus, ut omni omnino uel remotissima peccandi potentia remota, in creatoris lege nequidem delinquere potuisset: Potuit ab ipsa creatione, illum adipisci perfectionis ac sanctitatis gradum, de quo ipsum serpens infernalis, nullis insidiis, nullis fraudibus, nullis clandestinis blanditiis, unquam pellere quiuisset; Potuit ea exornari beatitudine homo, quae limites eius ita compensasset, ut posita hac conditione, omne praevaricationis periculum, ne quidem possibile fuisset. Abunde hoc patet ex illo felicitatis gradu, ad quem beati coelestes tandem in supracoelesti saeculo sunt euhendi. Vitae enim aeternae perfectio, integrum Adami naturam magno exuperat gradu. Ex ea enim nullus beatorum excidere potest. Quamuis Adamus propter essentiae limites

mites ad eminentissimam illam perfectionem, qua ipse Deus fruitur, accedere nequeat; nihilo tamen secius ad consummatissimam angelorum in bono confirmationem, quae statum ipsius paradisiacum omnino transcendit, statim peruenire potuisset. THOMAS tribuit angelis ante lapsum diaboli, statum perfectum, non *positive*, plenitude omnis boni, qui confirmationem in bono includit, sed *priuative*, qui omne malum culpe et poenae remouet, etiam ante confirmationis in bono decretum. Idem de homine quoque praedicari potest. Nam licet ab ipso in statu integritatis, omne malum remotissime exularet; nondum tamen consummatissimam boni plenitudinem homo erat adeptus, sed Deus potuit statui eius perfecto maiores superaddere perfectiones, quarum opera, sine ulla libertatis iactura, non potuisset non, *non peccare*. Haud autem sine numine quodam factum est, ut Deus angelos et hominem non statim ab ipsa creatione, in sublimiori illa felicitate collocaret. Dei enim bonitatem, qua omnibus creaturis bene cupit, magna sapientia fuisse temperatam illucescit. Deus sufficientibus omnino caussis commotus, homini non statim ab incunabulis huius uniuersi, perfectiones omni numero absolutas, quas pro natura sua finita capere homo potuit, attribuit. Experiri uolebat Optimum Numen, an homo arbitrium, quo praeditus erat libero, sancte esset custoditus, insidiosaque serpentis infidias abominaturus, quas Deus, homine sufficientibus viribus exornato, sapienter permisit; an, lege de non comedendo ex arbore uerita, sancte obseruata, religiosa in legem diuinam ueneratione, uitae aeternae gaudia lucraturus esset. Nam eam ob caussam, scientiae boni et mali arbor, ad quam via feuero admodum interdicto fuit obsepta, in medio paradisi fuit locata, ut eius abstinentia medii instar fieret, per quod homo aeternam in uitam introiret, gloriamque creatoris, insidiis maledicentissimi spiritus strenue euitatis, illustraret, et haud infucatae obedientiae praemia, lubricae successioni non obnoxia, in coelo tandem consequeretur. Deus creauit hominem ad diem bonum, i. Theff. V, 9. i. e. hunc in finem condidit hominem sapientissimus creator, cum ipsum ex rubro eoque pulcherrimo terae puluere, summa componeret arte, ut sempiterna felicitate homo frueretur; ut non in ea tantum, quae huius uitae est propria, ad fixum fatalemque usque mundi terminum commoraretur, sed ad aliam sublimioris indaginis, etiam post saeculi fata adsurgeret. Orbis enim

conditus, quatenus creaturas ratiocinandi dote haud praedita alit, sine dubio interitum effugere nequit, nisi Numen ipsi aeternam decreuisset durationem. Hoc autem haud esse factum, ex euentu apparet. Nunquam enim mundus annihilari pessimumque dari posset, si Deus illum aeternitati reseruare voluisse, quia decreta diuina, mutationis periculo haudquaquam sunt exposita, nullisque fortunae obnoxia iniuriis. Non incongruum dictu esse uidetur, Deum, iterum in nihilum redigi mundum, ante mundi initia decreuisse, quia sine hoc decreto nunquam potest perire et remoto de aeterna mundi duratione decreto, non possum quin ad aliud decretum priori oppositum, colligendo abeam. Vno enim oppositorum remoto, ponitur alterum, ut Philosophorum placita tradiderunt. Quodsi Deus autem, ipsum in interitu mundi in nihilum redigere voluisse hominem, ultimus isque primarius creationis finis cessaret, desineretque. Nam gloria diuina, quomodo potuisset post extrema saeculi fata amplius illustrari, nisi homo mansisset superstes. Gloriae diuinae illustratio consistit in manifestatione maiestatis perfectionumque. Eiusmodi uero manifestatio fieri nequit, nisi adsit quispiam cui manifestetur. Adhaec accedit, quod illustratio gloriae per creationem facta, sit finis Dei *parte post aeternus*, i. e. Non quidem est necessarium et essentiale Dei attributum, illustratio gloriae diuinae per creationem, quia ante mundum conditum Deus gloriam suam nondum illustrauerat; sed decretum ac finis fuit liberrimae voluntatis, semel tamen praefixus ac creatione acquisitus, aeternum duret necesse est. Hoc fine aeternum Numen Immortale defraudaretur, omni rationali creatura, per interitum mundi sublata, neque eum Deus assequeretur totum, nisi in aeternum aliquis a Deo diuersus adsit, qui Maiestatem diuinam religiose admiraretur. *a)*

## §. IV.

*a)* Istam sententiam Rabbinorum quoque scholae suo comprobant calculo, R. SALOMO IARCHI, in hanc scenam producendus omnino uideretur. Ille enim limitoris ingenii vir et alienos lingere digitos haud solitus, ad Cap. Genes. II, 7. inquit: **תְּרוּ יִצְרֹת יִצְרָה לְעוֹלָם:** **וַיַּצֵּר יוֹחָנָן אֶת־דָּאָרָם** *i. e.* duas formationes sunt, (quia duo *Ind* sunt) formatio ad hanc uitam et formatio ad resurrectionem mortuorum. Quamuis autem hic loci hominem ad resurrectionem mortuorum conditum esse assertat, morte nondum in huius integrum membra faciente, sed post lapsum demum

§. IV. Nec appetitus ille, qui in anima hominis delitescit, est frustraneus, quo scilicet ad aeternae felicitatis gaudia transire serio desiderat, ut misera huius uitae conditio fortisque iniuria, pacifica quadam compensentur beatitudine. Hocce desiderium homini in ipsa creatione sapienter sicut concreatum et omnibus est commune aequum ac naturale. Residuum illud mansit ex pretiosissima diuina imagine, quamvis non tam certe adhuc, uti in statu integritatis persuadeat, sed multa fluctuatione ac dubitatione, quoad complementum, post infastum hominis, neglecta dirarum obnunciatione, lapsum, depravatum esse appareat. Idem tamen appetitus post integritatis ac imaginis iacturam eo magis creuit, quo magis nunc humanitas, ad vota melioris fortis, iniuriis fortunae sollicitatur. Multarum gentium confessiones huius desiderii, magna facundiae pompa fucare et in scenam producere possem, quae uno ore unoque labio, hunc communem hominis appetitum publice confitentur, ipso iam PAVLO, *ἀποκαρδονίας της πτίσεως, την ἀπολύτην τῶν οὐλῶν τῷ Θεῷ, ἀπενδεχομένην*, Rom. VIII, 19. non plane dissentiente. Non animam solum; sed fragile etiam corpus, quod anima mouetur, coelestia introire, homo anxie desiderat, ut non amplius in terrae umbbris moretur; sed ad sublimiora sidera, ad feliciorem sortem, ex hac miseriarum turba ac colluvie properet. Ex uita enim se ita discedere tanquam hospitio, non tanquam ex domo, naturamque commorandi diuersorum, non habitandi, dedisse mundum humanitati, quisque sobria edoctus intelligit. Quilibet homo animam in corporis consortio, uitamque conseruare naturaliter concupiscit, mediis ad finem hunc obtinendum studiose quaestis. Felicissima uero aeternae uitae conditio est perfectissimum illud medium, quo homo finem istum consequi potest. Ea enim si fruitur, uita hominis non amplius euadit caduca, interitusque periculo haud exponitur. Quapropter nemo mirabitur, singuli si homines omni cogitatione in

C 3

pos-

denum in mundum ingressa; nihil tamen secius nostrae sententiae patrocinatur, dum hominem ad *הַמְתָּמִים לְלִזְרָה יְהוָה*, i. e. ad uiuificationem mortuorum, conditum assertit. Innuit enim hominem ad uitam aeternam esse a Deo creatum, in quam per resurrectionem aliquando introiret, quia post lapsum, resurrectionem uita coelestis, nulla intercedente mora, conseruitur.

possessionem felicitatis aeternae ferantur. b) Communis autem ille appetitus, homine quamvis pudicitiam foliis ueritiae arboris nunc obnubente, haud nihil putandus uidetur, quod ipsi animae immortalitas, uariis huc usque Philosophorum argumentis declarata, conuenienter applaudit. Eundem aeternae durationis statum, se fore consecutrum, homo adhuc integer optime nouerat. Aeternae enim felicitatis desiderium, homini non solum cum imagine diuina naturale fuit; sed Deus etiam hunc hominis appetitum, suis cum Adamo colloquiis, et singulari in primis typo confirmauit, ut eum erudiret in sanctificatione Sabbati, quae qualesque in primis spes, homini in terreno paradiſo commoranti, essent residue; ut patefaceret, coelestem uitam quieti Sabbaticae quam maxime esse conformem, corpusque in Sabbaticae requieci societatem assumtum, in eundem gloriae statum iri euectum, ut in hac inferiore quoque hominis parte, Numinis bonitas magis magisque aliquando inclareceret.

## SECTIO IV.

DE

## SCRIPTVRAE ORACVLIS, SABBATO MYSTICO PATROCINANTIBVS.

## §. I.

Haud opus esse uidetur, ut pluribus ea loca recenseam, in quibus Sabbati exhibetur institutio, ipsa iam sua claritate abundant. Hoc tantum hic praefari lubet, annos Sabbaticos Exod. XXIII. Leu. XXV. mystico

b) Erudite iam olim inter gentiles de animarum immortalitate, feliciorique hominis post obitum conditione, multa differuit CICERO, et maxime uoluptem hunc sibi appetitum esse profiteret. *Quod si in hoc erro, inquit, quod animas hominum immortales esse credam, lubenter erro; nec mibi hunc errorum, quo delector, dum uiuo extorqueri uolo.* Lib. de Senectute Cap. ult. Omni haud quidem prorsus dubio sublato, de aeternitate animarum disputatur, eximia tamen iam tum quedam argumenta de sempiterna animae duratione, eruditus peruoluit, PYTHAGORAE in primis ac PLATONIS uestigia secutus. Iisdem MARCVS AVRELIVS ANTONINVS quoque in *Meditationibus super se ipsum*, pollicem premit, multa grauter de eodem argumento passim commentatus.

mystico illo nutu defraudandos huad esse. Hisce enim annis rura haud colebantur, agros incultos linquebant Iudei, omni eorum terra agriculturae ferias habente. Quanquam aliae etiam fuerint rationes, ob quas feriae anni cuiusvis septimi agebantur, una tamen posita, non statim excluditur altera ratio. Nam et si in commoda egenorum, qui lauta haud fruebantur supellecibile, et in memoriale signum seruitii aegyptiaci, annus Sabbaticus a Deo sic institutus, nondum tamen inde probatur, alias quoque huius institutionis non adesse rationes. Idem annus typus sublimioris fuit quietis, in qua, terae terrenorumque curam ac cultum beati haud curae cordique habebunt. Deus Exod. XXIII, 11, 12. annum septimum et diem septimum, ut tempora summae quietis celebranda sapienter coniunxit, quod non esset factum in eiusmodi loco, ubi Sabbatum explicandi non suppeditatur ansa, nisi nos monere uoluisset, diem et annum septimum, arcana quadam familiaritate ac respectu coniungi. In praesenti uero de anno septimo eiusdemque mystica significatione differere animum non induxi. Quare ad diei septimi mysticum respectum eruendum, me adcingam, cum huius explicatione, ipsius anni septimi figura mystica satis iam illustratur.

§. II. Inter sedes Sabbati mystici palmarias, primum aequa ac principem locum caput LXVI. Esaiae, atque in primis uersus uigilimus tertius occupat, qui in codice sacro ira exhibetur:

וְהִנֵּה מַעֲדָה חֶדֶשׁ בְּחַרְשׁוֹ וּמִזְרָחָ שְׁבַת בְּשַׁבְתּוֹ וּכֹא כָּל־בָּשָׂר לְהַשְׁתַּחַווֹ  
לִפְנֵי אֱמֹר וְהִזְהָה :

Versio B. LUTHERI haec verba ita interpretatur: Und alles Fleisch wird einen Monden nach den andern, und einen Sabbath nach den andern kommen anzubeten für mir, spricht der Herr. Sed haud omni ex parte accurate. Tantum uero abest, ut hoc meo dissensu, de meritis Beati Viri detrahiam; ut potius sacros interpretandi labores eius magni faciam, quamuis uersionem hanc cum fontibus sacris non in pari locem fastigio. Fontes enim textus ebraici atque in primis accentuatio, ad duas propositiones in hoc oraculo Esaiae per Athinachum distinctas, attendere iubent. Inde uerba ebraica ita sunt transferenda, uersu antecedenti simul addito: u. 22. *Nam fecit coelum nouum et terram nouam, quam ego creauit, stans siue durant coram me dictum*

dictum Domini; ita stabit seu durabit semen uestrum et nomen uestrum. Nunc commatis prioris probatio adiicitur u. 23. Nam erit Nouilunium (haec uox ex Ellipsi nominum supplenda) a nouilunio in nouilunium, et Sabbathum (uel tempus, uti ONKELOS addit) a Sabbatho in Sabbathum. Et (i uel uox tunc hic suppleantur necesse est) ueniet omnia caro adoratum coram me, dicit Dominus. Circa וְחִיה notandum est, quod וְuerborum non solum conuertat, sed etiam simul in coniunctionem caussalem interdum euadat, e. g. Es. XXXIX, 1. misit Merodac litteras, etc. וַיָּשֶׁב quia audiuerat, quod aegrotasset et convaluisset. a) וְ hic loci in וְchiah ita explicandum esse, inde probatur: Semen et nomen fidelium ideo in perpetuum stabit, quia secuturum est perpetuum Sabbathum et continuum nouilunium. Sabbathi enim et nouilunii celebratio sunt gaudii et felicitatis signa, id quod ex opposito patet. Nam Sabbathi et nouilunii cessatio sunt signa calamitatis, Hos. II, II. Inde tale enascitur argumentum: Cuiuscunque nomen ac semen coniunctam habet perpetuam felicitatem, illius nomen ac semen semper stabit; atqui nomen ac semen fidelium, coniunctum habet perpetuum Sabbathum et nouilunium, i. e. perpetuae felicitatis signa, et sic etiam felicitatem. Ergo in perpetuum durabit. Stare לְפָנֵי coram me seu coram לְפָנֵי hoc loco nihil aliud est, quam in perpetuum stare. Nomen Dei enim in sacris loco praedicati adhibitum, saepe excellentiam et perfectionem eximiam denotat, et h. l. per לְפָנֵי facies Dei intelligenda, quia Deus de se, seu facie sua loquitur. Quodcunque uero ualet de nomine Dei, ualet etiam de affixo seu pronomine relatiuo, quo nomen Dei designatur et representatur, quia Relatuum, ipsum nomen repreäsentat. Deinceps uerius ultimus huius capituli Esaiæ, iubet hic stationem *perpetuum* intelligere, quia duratio Electorum, lapsi infernali cladique damnatorum ibi opponitur. Quando uero eodem uersu 23. additur: omnem carnem uenturam esse adoratum coram facie Domini; annescitur descrip̄tio istius Sabbathi, scilicet, quod omnes beati illud sint celebraturi, operamque iunctis precibus colendi Deum, daturi. Ex quibus apparet, hoc Sabbathum maxime illustre ac uniuersale futurum, quum omnibus beatis commune sit, quale in ecclesiam militantem sub hoc sole,

a) GLASSIUS in Grammat. S. Lib. IV. Tract. I. Obsery. VII.

sole, in tota sua emphasi plane non cadit. *Omnis caro h. l. non totum hominum gregem sub se complectitur, quia in impios celebratio huius Sabbati non quadrat, ergo Subiecti qualitates e praedicato determinandae, certisque signis ac characteribus confignandae, ne ea immisceantur subiecta, quae hoc praedicato omnino indigna uidentur.* Talia enim sunt subiecta, qualia permittuntur a suis praedicatis. Denique id quoque praeterire haud licet, uoces *Sabbatum* et *Nouilunium* ex ellipsi nominum eruendas omnino esse, quia concessa hac ellipsi, sensus facilis ac plenus emergit. Rhbiae ualor, idem eleganter commendat. Huius ellipso exempla plura vide apud *GLASSIVM in Gramm. S. Lib. IV. Tr. II. VITRINGAE* sententia determinatas Sabbati uices hoc loco intelligentis, b) per ellipsin erutam menti Spiritus facilius conciliatur. Nam si est *Sabbatum a determinato Sabbato in determinatum Sabbatum*; sequitur, ut sit continuum *Sabbatum*. R. KIMCHI hanc phrasin exponit: כִּי מִרְאֵשׁ וּמִלְתָּה רַי מֹרֶת עַל וְחַמְרָת הַדָּבָר בְּלֹא הַפּוֹנֵם Esth. III, 7. *a mense in mensem.* *Vocula autem רַי hic indicat rei continuitatem, quae excludit intermissionem.* Quod si uero aliquis existimat, duas propositiones nersus uigesimi tertii, una propositione commode posse enunciari, ne B. LVTHERI uersioni error hermeneuticus imputetur; id haud aegre feram, si modo largiatur, locutionem istam מִרְאֵשׁ שְׁבֵת בְּשֻׁבְתּוֹ propter antitypum terrestris Sabbati, per continuum *Sabbatum* esse explicandam. Cui expositioni alia quoque suffragantur codicis sacri loca e. g. Psalm. CXLIV, 13.

D

Prom-

- b) Celeberrimus VITRINGA continuum *Sabbatum* non concedit (*in Commentario in Esiam*) propter Pronomen רַי in שְׁבֵת. *Duplicatio*, inquit, uocis cum affixo relativo, significat tempus certum ac praecepsum, ad certum aliquod opus determinatum, ut Dan. I, 5. Num. XXVIII, 10. Quicquid autem sit. Nam eti haec phrasis determinatum, non continuum Sabbati tempus significet; nihil tamen fecius ea phrasis acerbo et continuo Sabbato h. l. intelligendo haud repugnat. Propheta enim emblemata orationis, a tempore certo et praecepsio Sabbati ecclesiae militantis perit, phrasibusque Vet. Test. uititur de mystica et aeterna quiete uaticinaturus, quia determinatus Sabbati dies, typum agit aeterni Sabbati. Deinceps, quod non solum *Sabbatum* Noui Test. sed aeternum hic potissimum intelligatur, indicat noui coeli et nouae terrae creatio, quae in hac uita non datur. Hanc autem nouam creationem excipiet illud *Sabbatum*, de quo *Esias loquitur*, ut dies se-  
ptimus creationem primam. E. aeternum ac continuum sit necesse est.

Promptuaria nostra plena proferant **מִן־אָלֵהֶם** de alimento in alimentum, i. e. continuo alimento. Ier. IX, 2. מְרֻעָה אֶל דָּעַת וְצַדָּקָה de malitia in malitiam eunt, i. e. in continua malitia ambulant. Non solum continuatio in eiusmodi locutionibus est obvia, sed etiam rei augmentum in iis delitescit, ut in hoc Esiae oraculo, non minus illustre ac excellens, quam continuum intelligatur Sabbatum. c) Continuo Sabbato in primis quoque fauent, LXX. Interpretes hunc locum ita transferentes: Καὶ ἔσαι μήν ἐν μηνὸς καὶ σαββάτον ἐν σαββάτος. d) Pronomen relatum in apud Esiam omnino vacare uidetur in uoce **בְּשַׁבָּתְוָה**, illeque pleonasmus ab Ebraeis saepius non sine emphasi adhibetur. Non Graeci solum interpres affixum in hic loci vacare, suo commandant suffragio, sed ONKELOS etiam in elegantiissima sua paraphrasi assentitur, uertens: **וּבָזְמָן שְׁבָתָא בְּשַׁבָּתְוָה** in tempore Sabbati in Sabba, ubi affixum in ut vacans omittitur. Eiusmodi autem Sabbatum illustre, noui coeli et nouae terrae creationem consecuturum, ecclesiae militantis facie non est conueniens. Quare ita inde argumentari licebit: Quodcumque Sabbatum in ecclesiam militantem, propter continuam durationem et excellentiam suam, non cadit, illud ecclesiae triumphantis sit, necesse est; atqui de Sabato, cuius ESAIAS Cap. LXVI. facit mentionem, ita subsumo. Ergo etiam concludo. Textus sacri συνάρθεια atque contextus magnum meae sententiae superaddit pondus, quia comma antecedens noui coeli et nouae terrae mentionem facit, canonque ille exegeticus iam dudum inualuit: agi ibi de uita fidelium supracoelesti, ubi nouum coelum, nouaque condita terra recensentur. Hoc confirmatur

e) GLASSIUS in Grammatica S. Lib. III. Tract. VI. can. II.

d) COCCLEIUS sic fere Esiae oraculum interpretatur: Et fieri ex quo Nouilunium erit in Nouilunio suo, et ex quo Sabbatum erit in Sabbo suo. Tempus totum erit instar Nouilunii, nouae lucis, et instar Sabbati. HIERONYMVS exhibet: Et erit Mensis ex Mensa et Sabbatum ex Sabbo. Sic praeiueraat Versio LXX. uirialis. Vir doctus ita disputat, ut perpetuitatem aequabilitatemque status gloriae et ecclesiae triumphantis uideat. Chaldaeus: Et erit tempore initii Mensis in Mensa, a quo luna noua affulserit. Nouilunium apud Esiam cum Sabbato coniungitur, quia tempore Sabbati noua lux oriebatur, cum qua Sabbatum coepit. Iudei enim ab occidente sole Sabbati initia numerantes, lampades accendebant, secundum LVCAM XXIII, 54. Καὶ σαββάτον ἐπίφωσκε, cum Sabbatum illucesceret, h. e. accentis ritu Iudeo lampadibus.

tur Apoc. XXI, 1. et 2. Petr. III, 13. PETRVS commemorato mundi exitio noui coeli et terrae creationem demum afferit, quain adhuc omnes fideles praestolantur. Quodsi itaque nouum coelum adhuc expectamus cum Apostolo in Nouo Foedere, post mundi destructio-  
nem, sequitur, ut nouum coelum apud ESAIAM, ex sententia VI-  
TRINGAE, non habeat respectum ad Nouum Testamentum, sed po-  
tius ad beatitudinem aeternam, et Sabbatum noui coeli creationem  
excipiens et consequens, non sit huius sed aeterni saeculi. Subsequens  
ultimo uersus Capitis LXVI. Esiae, supremum damnatorum ex-  
ponit supplicium, aeternosque eorum meditatur dolores, qui fide-  
lium oculos in se conuertent. Beati enim, si damnatorum cruciatus  
aspicere dicuntur, id non de nudo intelligendum aspectu, sed de  
aspectu, cui admiratio et iustitiae diuinæ celebratio simul erit asso-  
ciata. Illi itaque fideles, qui poenas damnatorum contemplantur,  
non possunt amplius in variis huius uitae miseriis commorari, sed in  
statu consummatissimæ felicitatis iam uersentur, necesse est. Si ita-  
que ipsi non amplius in ecclesia militante militant, patet, etiam  
Sabbatum eorum, quod de ipsis praedicatur, non esse temporale, sed  
potius aeternum. Talia enim sunt praedicata, qualia permittuntur  
a suis subiectis, et talia subiecta, qualia permittuntur a praedicatis.  
Fundamentum uero, quo uates sacer innititur, quando quietem Bea-  
torum Sabbatum uocat, in Sabato ecclesiae militantis omnino deli-  
tescit, neque eiusmodi uitae aeternae denominatio, a Sabato huius  
uitae potuisset desumi, nisi hoc adumbraret requiem coelestem, ty-  
pusque gaudii aeterni, constitutum esset. Non quidem possum ire  
inficias, multa in hoc ultimo ESAIAE capite esse obuia, quae ad ec-  
clesiam militantem in his terris, sub Nouo in primis Testamento,  
spectare uidentur, quod ex uersu 19. et 20. huius capituli apparet, ubi  
a diuino uate, certitudo conuersioris gentium maxime stabilitur et  
Deum quoque hostes ecclesiae grauissime punitur iam in his terris  
promulgatur. Id tamen omnino sua abundat claritate, sanctos Dei  
Prophetas diuersas quoque res, promissiones in primis, propter  
arctam quandam conuenientiam ac familiaritatem, interdum con-  
iungere, ut ex complemento unius promissionis de certitudine  
alterius, eo firmius ac certius persuadeamur. Sic Prophetae pro-  
missionibus temporalibus in suis uaticiniis, spirituales simul adiun-  
gant, ita, ut sub reditu ex captiuitate Babylonica, de spirituali sae-  
piissime

pissime liberatione uaticinentur. Eodem modo Deus in hoc  
 ESIAE capite, regnum gratiae iustitia attemperatum, cum regno  
 gloriae et iustitiae uindicatiuae, propter familiarem conuenientiam,  
 in uno capite complectitur, ut fideles in hac uita gratosam Numinis  
 benevolentiam, seueramque circa hostes ecclesiae uindictam spectitan-  
 tes, ad gloriosam quietem infernaliaque supplicia, aliquando futura,  
 attendant. Vates diuinus hic temporis ordinem secutus, uaticiniis  
 de oeconomia Noui Testamenti praemissis, ad ultima et nouissima se  
 adcingit, operaque diuina post Nouum Testamentum adhuc expe-  
 ctanda, opportune exposuit. Ex hermeneuticis constat, de alio si-  
 mul esse cogitandum subiecto, si uaticinia et praedicata, in idem et  
 unum subiectum, in tota sua emphasi haud cadunt. e) Neque obstar,  
 in hoc ultimo Esiae capite atque in primis u. 23. eiusmodi loquendi  
 rationes obuias esse, quae cum Veteri, tum Nouo Testamento sunt  
 propriae. Spiritus enim Coelestis phrasibus ab Oeconomia in his  
 terris Diuina petitis, loquitur de rebus gratiae sublimioris, ex typici  
 cuiusdam respectus fundamento. Inde pari ratione colligere possum,  
 eundem coelestis Sapientiae Doctorem, phrasibus, quae ecclesiae  
 militanti sunt propriae, loqui de rebus ecclesiae triumphantis et ae-  
 terni saeculi. Ecclesiae enim militantis beneficia, singulari quadam  
 ratione, quae in nexus et ordine oeconomiae diuinae delitescit, triun-  
 phantis agunt figuram. f) Accedit denique scopus, quem ESIAE  
 in hoc capite habuit praefixum. Solatii blandimentis et spe consum-  
 matissimi gaudii, pios sub uexillo fidei, in his terris militantes, consolari satagit, quod ex u. 10, 11, 12, 13, 14. satis abunde inclaruit. Con-  
 solabitur autem Deus, ut ex sequentibus patet, dupli ratione fide-  
 les: a) positive, conferendo ipsis pacificas plenissimae felicitatis deli-  
 cias;

- e) Idem B. RAMBACHIVS, suffragio suo eleganter approbat. In multis, inquit, uaticinis prophetarum, talia saepe immixcentur praedicata, ex quibus iti, qui  
 exercitatos in uerbo prophetico habent sensus, facile intelligunt, duplex subiectum  
 Spiritui S. per Prophetas loquenti, obuersatum fuisse, quorum unum emblemata  
 et αὐτίσορχον effet alterius, et uates a Spiritu S. octo ita sermonem temperasse,  
 ut de ueroque Subiecto et γεωμετριῶν et μυσικῶν sumto, intelligi possit. in  
 Dissert. de Criteria sensus mystici. §. V. n. VIII. Quem canonem pro-  
 pheticum pluribus confirmat CAMPEIVS VITRINGA, in Typo doctrinæ  
 propheticæ p. 176.
- f) Vid. FITZERVIS de Beneficiis Typicis Sect. I. §. IV. ubi institutionem Sab-  
 bati ad typica refert beneficia.

cias; 3) *remotive*, vindicando iniurias ab hostibus illatas, ita, ut pii eorum insidiis amplius haud exponantur. Quanquam uero iam in hoc saeculo et quietis aeternae praegustus et supplicii malorum prae-ludia existant; quilibet tamen facile intelligit, piros in impiorum turba ac colluiae adhuc uersantes, omnem calamitatis et afflictionis faciem nondum exuisse, uehementerque saepius impiorum uexari insultibus, ut promissionem omnimodae et aeternae quietis in Sabbato praefiguratae, non plene et in totum adipiscantur, nisi ex hac uita ad sedes supracoelestes migrauerint. Quare Sabbatum plenissimae quietis, constantissimique gaudii in altera uita est expectandum, cuius typum et umbram, Deus Sabbatum huius saeculi, a condito orbe sapienter constituit. Quia Spiritus S. in alio sacrarum paginarum loco, siue *palam* et *expeditius*, siue magis *teste* atque *implicite*, nos de sensu alicuius mystico reddat certiores, factum est, ut in scholis Exegetarum uestigia sensus typici, sint uel *Explicita*, uel *Implicita*. Nonnunquam enim Spiritus S. *explanate* uerbisque disertis docet, hanc illamue rem uel personam, in alterius rei uel personae figuram esse diuinatus ordinaram. Quod irrefragabile testimonium, omnem tollit, penitusque abscondit dubitationem. Nonnunquam uero modo *magis implicito*, sub Spiritus S. ductu, in notitiam sensus mystici peruenitur; ubi quidem non excluditur pia ac sobria meditatio, cui tamen praefert faciem Scriptura, uariisque nutibus, uiam in typicum Dei sacrarium ingressuris indicat. Ad implicita Sabbati mystici uestigia, hic locus *ESAIAE* est referendus, non enim expresse et *propterea*, Sabbatum terrestre uitae et quietis aeternae typus adpellatur; sed tantummodo manifestis uerborum aequa ac circumstantiarum allusionibus, mystica Sabatti schola hic aperitur, de qua Scripturae consuetudine, audi Celeberrimum *WITSIVM* ita differentem: „Si „contingat, inquit, ut Deus de re spirituali differens, manifesta „uerborum allusione ad memoriam nos rei, quae magis corporalis „ac materialis est, reuocet: illam eo ipso ostendit, rei istius spiri- „tualis ac mysticae Symbolum quoddam fuisse. g)

## D 3

## §. III.

g) in *Miscell. Sacr. T. I.* p. 674. Plura uide apud *GVL. SALDENVM* in *Oriis Theol.* p. 260.

§. III. Iam iam olim Israëli per erecta montium iuga in desertis peregrinanti, Deus aperuit typicam Sabbati rationem, quando Exod. XXXI, 16, 17. Sabbathum appellat בְּרוֹת עֲלֵם foedus sempiternum, quod Deus cum fidelibus, quos ecclesia Israëlitica hic loci repraesentat, icerat. Deus hic differit de Sabbati cultu in genere, quatenus ad omnes omnino spectat homines, nulla de die Sabbati Iudaici septimo, facta mentione. Vocis עֲלֵם duratio infinitis uoluta saeculis, nunquam sane cessabit. Haud quaquam Sabbathum, sempiterni foederis nomine esset dignum, si tantummodo in hanc lubricam ac caducam fidelium sortem cadit, et mundo destructo, ipsum foedus Sabbato ictum destruitur, sine respectu ad gloriosam illam uitae aeternae quietem, ad quam primus homo fuit conditus. Foedus h.l. pro signo foederis adhibetur, quae loquendi ratio et Enallage in sacris saepius inuenitur. u. 17. Sabbathum לְעֵלֶם נִין signum in aeternum uocatur. Additur simul ratio Foederis uniuersalis, quia Deus septimo post creationem die quieuerat. Foedus ipsum est uoluntas diuina, de largiendo homini uitam aeternam. Signum foederis a Deo constitutum est dies sabbaticus, qui hominem de promissione foederali admonere, foedus ex mystica sua relatione et conuenientia in memoriam reuocare potest, aequa ac debet. Promissio aeternae quietis, conceditur diei septimo, benedictione diuina, id quod innuitur uerbo בָּרוּךְ Gen. II, 3. Religiosam quietis hic habes benedictionem, quae non potest non aeternam et terrestri sublimiorem lucrari quietem, religiosa benedictione semper coelestia pollicente.

§. IV. Alia quoque haud uulgaria in sacris pandectis eminuere uestigia, quorum nutu ac ductu ad mysticum Sabbati reuocamur significatum. Requies in primis beata atque illustre otium, Beatorum beata appellatur uita, quibus sacri mentis diuinae interpretes ac uates, ualorem uocis שְׁבַת innuere, mysticamque Sabbati rationem expondere et aperire uidentur. שְׁבַת enim a שְׁבַת suam dicit originem, quod cessare ac quiete perfaci Ebraeis esse consuevit. Quodsi itaque conditio electorum supracoelestis מִנוֹרָה seu ἀνάπαυσις, uocatur; tunc uiri Στοιχεῖοι scholam Sabbati nobis aperiunt typicam et solennem quietem sabbaticam studiose inculcant. Hanc meam sententiam omnino commendat perillustre illud Cantoris sacri oraculum, quando Psalmo XLV, ii. commemoratur, Deum ad iram prouc-

prouocatum iurasse, non adepturos esse quietem diuinam inobedientes. **אָשֶׁר** inquit, **נִשְׁבַּעֲתִי בְּנֵי אָם־כָּאן אֶל־מִוּתִיךְ:** *quia iuraui in ira mea, si peruerent ad quietem meam, i. e. non peruenient.* Conditionalis coniunctio **וְ** h. l. naturam aduerbii negandi induit, id quod fit in formulis iuramenti ellipticis, quando scilicet membrum illud orationis conditionalis, quod dirarum imprecationem (si iurans fallit) continet, per Aposiopesin reticetur, conditionali coniunctione tunc idem ac *non* ualente. I. Reg. I, 51. Marc. VIII, 12. collat. cum Matth. XVI, 4. b) Vita aeterna in allegato Psalmo *quies Dei* uocatur, et uates diuinus de solenni illa creationis et septimi diei quiete cogitasse, sine dubio omnino uidetur, quia dies septimus siue sabbaticus ad praefigurandam uitam aeternam fuit initiatu*s* aequa*m* ac sanctificatus. Spiritus Diuinus potissimum hic allusit ad ea loca, ubi Sabatum appellatur, *quies Dei* *sancta*. Exod. XXXI, 15. Hanc expositionem menti Spiritus S. esse conformem, ex sequentibus inclarescit positionibus. I. Peccatores misericordiam diuinam ludibrio ac contemui exponentes, non introibunt ad quietem Dei. II. Quies Dei in S. Codice nobis exposita duplex est, uel solennis illa ab opere creationis cessatio, uel felicissima illa beatitudinis sors ac conditio, quiete creationis adumbrata. Hac posteriori non solum Deus ipse, modo perfectissimo, fruitur; sed omnes homines ex uoluntate diuina anteecedente, illius compotes fieri debent. III. Ad illustrem creationis quietem fideles haud peruenire queunt. Non enim fuerunt in societatem operis creationis assunti, ut ita quieuisse cum Deo dici possent. Quare ad ultimam tantum iis patet aditus, de qua etiam Ps. XC V. agitur. Evidem Deus ipse beata fruiur quiete, quae Sabato hominibus fuit promissa; sed homines ad perfectissimam illam, quam Deus eminentissime possidet, omni ex parte nequaquam ascendere queunt, limitibus humanae naturae positis. Illa enim sublimitas non potest habere consortem, quum sola teneat omnem perfectiōnem. Eiusmodi ergo quies hic est intelligenda, quam finita hominis natura capere potest, alias oraculum diuinum stoliditatis posset argui, si iuramento contestaretur Deus, se nolle peccatoribus aliquid largiri, quod nemo mortalium, siue probus, siue improbus, nancisci unquam potuit

b) Vid. GLASSIUS in *Philologia S. Lib. III. Tract. VII. can. VI. n. II.*

potuit nec potuerit. Quanquam uero Numen Praepotens, illam quietem, quae impiis iuste denegatur, quietem *meam* seu *Dei* (Pronomina enim *relativa* idem ualent ac nomina, quorum uice perfunguntur) appellat; alia tamen haud est, quam beatitudo seu quies Electorum. Ideo enim uita aeterna dicitur quies *Dei*, a) *Quia* est diuina creationis quiete praefigurata ac homini manifestata, b) *Quia* Deus eiusque bonitas, quietis fidelium est causa efficiens, i) γ) *Quia* requies quaedam illustris, quietem corporalem maxime superans, *Dei* dicitur quies. Nomina enim *Dei* Praedicati loco adhibentur pro *diuino*, quo uehemittissimum et excellentissimum aliquid significatur. k) Omnia omnino suffragiis haec explicatio digna uidetur, quam et alia Sacri Codicis loca de meliori commendant. Dignitas enim uitae coelestis, sub umbra quietis manifestata, mystica Sabbati requie clarissime inititur, ut aliud denominationis fundamentum uix nobis suppeditetur. Ipsi Numinis grauissimum effatum Exod. XVI, 23. septimum diem uocat, *Sabbatum quietis sanctae coram Domino*, quae loca diuinus uates in Psalmo ante oculos sine dubio habuit, uitam aeternam appellitaturus quietem et quicquid mystici in quiete sabbatica delitescit, suppeditata hac occasione uberius exposuit. Illustri quodam suffragio, antiqui foederis uati, magnus ille gentium Magister ac Doctor PAVLVS assentitur in epistola ad Ebraeos exarata, quae typorum schola ac sanctuarium appellari omnino meretur. Capite in primis quarto u. 4, 5, 10. fontes Sabbati mystici commentatur Apostolus, ut tam egregie de mystico Sabbati nutu meditantem, satis mirari uix queam. Illam enim quietem, de qua DAVIDES Ps. XCIV. disputat, cum quiete creationis dicina, ut antitypum cum typo coniungit atque conciliat. Remotis autem u. 8. omnibus huius mundi otiosis tanquam tanto titulo indignis, insignioris quietis expectatione eaque certa animos Ebraeorum permulcat, ita commentatus: Εἰρηκε γάρ περ τῆς ἐθδόμινος θτῶν. Καὶ κατέπαυσεν ὁ Θεὸς εὐ τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἐθδόμῃ, ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτῶν. Καὶ εὐ τῇ φτωχοῖς εἰς τὴν κατέπαυσίν με. Quietē ab opere creationis diuina, et ea, quae impiis in Psalmo denegatur, fundamenti loco posita, otioque corporali tanquam imperfecto u. 8. remoto, tandem u. 9, 10. con-

i) GLASSIUS l. c. Lib. III. Tr. I. can. XXX. n. I.

k) Vid. IDEM l. c. can. XVII. n. III.

concludit: Ἡρα ἀπολέπεται σαββατισμὸς τῷ λαῷ τῷ Θεῷ. Οὐ γὰρ εἰσελθῶν εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτῷ, καὶ αὐτὸς κατέπαυσεν αἴποτε τῶν ἔργων αὐτῷ, ὥσπερ ἀπὸ τῶν ιδίων ὁ Θεός. Vox ἀπολέπεται idem hic ualeat ac καταλείπεται, restat, reliquus est, ut u. i. Ita POLYBIUS, p. 696. ἐλπὶς ἀπολέπεται σωτηρίας, reliqua est spes salutis. Si itaque Sabbathismus Paulinus adhuc restat in Nouo Testamento; patet, eum non esse huius saeculi; sed futuri. Dicitur h. l. quies aeterna σαββατισμὸς, quia Sabbathum septimanae eius typus a Deo est constitutus, neque ita appellari posset; nisi iam in ipso Sabbatho, mysticum aliquod denominationis fundamentum delituisse. Quodsi itaque de hocce fundamento sollicitus inuestigaueris, quoniam potissimum ratio denominationis innitatur; aut in *essentialibus*, aut in *accidentalibus* Sabbathi, ratio illa seu fundamentum latebit. *Accidentalia* Sabbathi sunt: dies a creatione praecise septimus. In hoc nullam cum quiete et uita aeterna analogiam typicam plane deprehendes. *Essentialia* uero sunt: quies et cessatio a laborum molestiis religiosa. En arctissimam Sabbathi cum quiete aeterna conuenientiam! En insigne illud mysticum denominationis fundamentum! ita, ut quisque, cui modo sana mens sit in corpore fano, colligere queat: Quaecunque quies 1) uocatur σάββατον, 2) quiete diei septimi a mundo condito, promissa ac stabilita dicitur, 3) in hac uita non obtinetur, sed a fidelibus adhuc in Nouo Testamento tanquam futura expectatur; illius quietis typus est Sabbathum ecclesiae militantis; Atqui quies uitae aeternae a PAVLO dicitur a) σάββατον s. σαββατισμὸς u. 9 β) quiete diei septimi fuit promissa ac praefigurata u. 4, 5, 10. γ) in hac uita non obtinetur u. 8, 9. Ergo quietis aeternae typus est Sabbathum seu dies septimus a Deo quiete creationis sanctificatus. Haud est impedimento, quo minus haec explicatio omnium sit digna suffragio, quando ipsa uita aeterna σαββατισμὸς seu Sabbathum u. 9. appellatur, cum hoc tamen illius tantummodo sit typus. Iti enim, qui Theologiae typicae studio se adseruerunt, iam norunt, in sacris saepe usu uenire paginis, ut in typis et antitypis denominationum quandoque ἴναλλαγὴ seu *permutatio* sit obvia, ut scilicet figuratum et adumbratum, figure, umbrae, aut typi, et contra typus ac figura, rei repraesentatae vel antitypi nomen, sibi adsciscat aequa ac vindicer. 1) Idem obser-

E

uari

1) Vid. GLASSIUS l. c. Lib. II. P. I. Tract. II. Sect. IV. art. VII. can. IX.

uari meretur, quando Sabbatum *quies Dei sancta* in Veteri uocatur Testamento. Exod. XVI, 23. XXXI, 15. Sabbatum enim in hoc mundo colendum, non est ipsa *quies Dei sancta*, sed eius tantummodo typus ac figura.

§. V. Quodsi quis negauerit in Sabbatho ex ipsa intentione diuina ab orbe condito, hunc mysticum ad quietem aeternam respectum delituisse et GROTIUS ac aliorum castra securus, nihil nisi accommodationem admittere uelit; ille sole meridiano coecutire omnino uidetur. Multo quidem plausu et clamore libri isti comprobabantur, in quibus auctores tela religioni christiana inimica, clangulum effingebant excudebantque; sed nouitate paginis lenocinante et nunc ineptiis eorum in lucem protractis, auctores deponatis adnumerantur senibus, qui omni in sacris iam iam priuantur suffragio. Sordida enim ista de uiris Θεοπνέυσος sententia, homine christiano indigna, a nostratis solide iam fuit decisa atque explosa. Recte sane obseruat uir integrissimi iudicii, c. VITRINGA: m) Hanc methodum cum honore ac ueritate sanctissimae religionis nostrae conciliari non posse. Quodsi enim Apostoli uaticinia, quae in Christo impleta dicunt, tantum per parodiam et allusionem, quando aut per sensum nescio quem mysticum, longe peritum tralatitium, nemini praeterquam Θεοπνέυσος notum ac manifestum, ad Christum accommodarunt, eisque tribuerunt sensum, de quo sacri uates nunquam cogitauerunt; actum sane est de Apostolorum fide ac auctoritate. Substernunt enim christiana fidei fundamenta arenosa ac minus solida; tribuunt Spiritui S. per prophetas locuto intentionem, quam prorsus ignorat; abutuntur scripturis lectoribusque suis illudunt, dum testes de Christo producunt, quibus ne in mentem quidem uenit, de illo testari. Quod uir celeberrimus de typis Christi studiose aequo ac erudite commentatur, caeteris quoque rerum spiritualium figuris ac umbris apprime conuenit. Misera sane ac lubrica essent PAVLI argumenta, si promissam uitiae aeternae quietem ex uoce Sabbathi et quiete sabbatica probare satagit, obvia quadam tantummodo innexus similitudine, nulla ratione typica in Sabbatho ex intentione Spiritus S. delitescente, aut si interpretationes Scholae Iudaicae saepe incertas consecutatus, ex turbidis fabularum fontibus, de ueritate diuina gentem suam conuin-

m) in Praefatione Commentarii in Esaiam p. 15.

uincere, et ad meliorem, ut aiunt, reducere frugem, molitur. Totius argumenti robur, quo PAVLVS promissionem certae quietis illustrioris cuiusdam, circumuallauit in allegato loco, corruit ac ui sua defraudatur, si diei sabbatico, cum uita aeterna, non innata quaedam praefiguratio mystica, sed illata tantummodo accommodatio intercesserit. Hoc enim Sociniano prorsus, circa rerum coelestium typos lasciuendi pruritu admisso, PAVLVS ad tritam illam Stoicae Scholae internam quietem, pari iure in certamine cum hominibus, superstitionem paganam profitentibus collocutus, prouocare potuisset, certitudinem beatae uitae post mortem iis demonstratus, hacce Stoicorum requie Iudeis, Essaeis in primis approbata. Eiusmodi enim facta et excogitata accommodatio contra ipsos Iudeos, uiro θεονέυση auxiliatrices largita fuisset manus. Si illatus accommodationum sensus, in ueritatibus doctrinae coelestis exponendis probandisque effet sufficiens; Apostoli ex superstitionis uulgi opinionibus in tam graui argumento arduoque negotio uti, atque tuto, sine impiae temeritatis obtrectatione ac crimine potuissent illis inniti.

## SECTIO V.

DE

# EO, IN QVO HVIVS VITAE SABBATVM ET COELESTE INVICEM CONVENIVNT.

## §. I.

Operae pretium erit et argumenti, cum grauitas, tum dignitas commendat, paullo studiosius inuestigare, in quonam potissimum, *mystica* illa uersetur *conuenientia*, quae quieti aeternae, cum Sabbato intercedit. Ad ea itaque nunc me adcingam, quae aliqua inuestigatione uidentur omnino digna.

§. II. *Quies*, quae utrique conuenit Sabbatho, prime nunc uice in scenam producitur, quae uel *positiue* uel *remotiue* potest exponi. *Remotiue* exposita duplii innititur fundamento. a) Tempore Sabbathi reuocamur ab istis negotiis, quae corpora nostra onere ac sudore

E 2 exbru-

excruciant, et leuamentum ac medela tunc datur laboribus. Eodem modo, quiete aeterna perfruentes, nullis doloribus amplius obnoxii expositique erimus; sed omne, quicquid in hac uita homini dolorem attulit, quicquid in luctum et lacrumas hominem compellit, a statu isto supra coelesti erit alienum atque longe remotissimum. Evidem aerumnosae huius saeculi curae, uitam turbant, somnos inquietant, et irrepentes in corpora, occulte mentem terrent, membra distorquent, ualetudinem frangunt, morbos laceffunt; sed Spiritus diuinus denunciat, Beatos in Domino mortuos quiescere a suis curis ac operibus, Apoc. XIV, 13. β) Die sabbatico illis etiam uacatur operibus, quae molestiam haud pariunt; sed ab hominibus in deliciis saepe habentur, u. g. equitare, uenari, ludere, epulas parare etc. ita et in uita aeterna, multae desinent atque cessabunt tandem actiones, quae in hoc saeculo, partim iucundae, partim necessariae fuerunt. Somni ciborumque usus in Sabbato aeterno plane euaneat, quasi beati Coelites, his uitae terrestris armis tunc non custodirentur, sed potius in eximia illa quiete turbarentur. Ef. XLIX, 10. Quatenus molestia atque dolor laboribus, quibus Sabbato uacamus, inhaeret, eatenus Sabbato primo Paradisiaco et quieti aeternae non intercessit conuenientia: Nam homo ante lapsum statu integro adhuc exornatus, nullis molestiarum ac dolorum iniuriis fuit expositus, aderat tamen conuenientia quietis et remotiue spectatae, qua posteriorem paullo ante explicatum modum. Adamus enim ab ipsis cessabat negotiis, quae in paradiſo, et si sine molestiis, fuit operatus, scilicet hortum Eden colere et in rerum physicarum studium incumbere. Nam uix crediderim, primum hominem, uitam paradisiacam in folido otio transacturum fuisse. *Positive* uero typica illa conuenientia considerata, etiam bifariam est explicanda. α) Sicut enim Sabbato, non requie atque otio a laboribus solum utimur, sed animos etiam periculis defatigatos resumimus et corroboramus; ita et in Sabbato futuri saeculi, Beati, depositis laboriosae mortalitatis exuuiis, immortali uestitu circumuallati, talem adipiscuntur quietem, quae ipsis solatiis rediuiuis eriget, ut summi gaudii ac felicitatis redditantur participes. Psalm. XVII, 15. XXXVI, 9. Ef. LXV, 18. I. Petr. IV, 13. β) Accedit denique cultus iste religiosus, quo Deus a nobis Sabbato colitur. Ideo enim quiescimus, ne impe-diamur, quo minus Deum nostrum, religiose admirati, uenere-mur.

mur. a) Idem etiam in quietem illam solem et aeternam opportune quadrat. Nam non laborum solum cessatio ibi inuenitur; sed simul operosa etiam quies esse uidetur. In hoc enim quietis Sabbato, Nomen Diuinum celebrabimus, Numen Propitium uenerabimur, cum Deo nostro perpetuo uersabimur, ita, ut status ille supracoelestis, sanctae ac religiosae quieti conuenientissime assimiletur. Ipse iam *ESAIAS* cap. LXVI, 23. uaticinatur; Sabbatum aeternum non esse merum otium, sed Beati hac quiete perfruentes uenturos fore *לְהַשְׁתִּיחָה adoratum coram Domino.* Interpretes LXX. Virales uerbum *הַשְׁתִּיחָה* per προσκυνεῖν eleganter transferunt. Indicat enim illud adorationis genus, quo Deum *flexis genibus* ueneraturi sumus. Apoc. XV, 2, 3, 4. VII, ii. Non possum, quin hic a GROTI<sup>II</sup>, plerumque de sacris peruerse sentientis, sententia abeam, quando in *Explicatione Decalogi*, p. 40. existimat: *Cultum Dei et otium in Sabato esse distincta.* Ita enim inquit: *Sanctus ille cultus, caussam habet mundum conditum. Otium quod mox praecipitur, Aegyptiacam seruituem.* Inepte omnino Sabbatum sine Oto fingit et cultum Sabbaticum sine quiete excogitat. Haud enim demum, seruitute Iudeorum in Aegypto soluta, ad Sabbatum quies ac otium accessit; sed a mundo iam condito, Sabbatum sine quiete nunquam exstitit. Quodsi modo ad Etymologiam uocis שְׁבָתָן attendisset, facillime perspicere poterat; Ebraeorum שְׁבָת per *otari* seu *quiescere* esse interpretandum, quo Sabbati etiam significatus innititur, et *quietem* sine *otio* existere haud posse. Forsitan locus Deutr. V, 15. non satis intellectus, GROTI<sup>O</sup> adhunc errorem, occasionem dedit, de quo in sequentibus adhuc quaedam erunt monenda, ut sensus ibi menti Spiritus S. conueniens, eruatur, inuestigetur, depromatur.

E 3

### §. III.

a) **P. LXV.** 2. dicitur: *Tibi in Zion רְמִיה תְּרִלָה silentium laus est*, seu laudatio in medio silentii. **LUTHERVS:** Gott, man lobet dich in der Stille zu Zion. Hierosolymis enim in templo, si sacra siebant, magnum fuit silentium, nullusque ibi strepitus, ut quisque attente sacrorum tractationem ac religionem animaduertere potuerit. Quamuis Spectatores Iudei silerent, mente tamen laudabant Deum, sacra in silentio spectantes. Sacerdotibus enim beneficia diuina in templo exponentibus, non potuerunt auditores, quin in eorum auctorem Deum cogitatione ferrentur, eumque mente laudarent. Tale silentium laudationis in Sabbato quoque existet aeterno, omni turbarum strepitu ac insidiis peccati rebellis remotis. Beati enim non semper uoce, sed mente etiam, laudabunt Deum.

§. III. Peculiares quoque Sabbati terreni circumstantiae, aeternum illud Beatorum Sabbathum eleganter adumbrant. Sabbathi institutio, post absolutum creationis opus facta est. Pari modo Sabbathum aeternum, illustrem noui coeli et terrae creationem, tanquam beatissima requies excipiet. Deus enim nouum coelum, nouamque creabit terram, prioribus coelo terraque in nihilum redactis Es. LXV, 17. 2. Petr. III, 13. Ipse Esaias cap. LXVI, 22, 23. Sabbathum Beatorum hanc nouam creationem subsecuturum enunciat, ita, ut absoluto nouae creationis opificio, ipsa subsequatur sabbatica requies, in qua Beati quiescent ab operibus, uti Deus die septimo a suis. Ebr. IV, 10.

§. IV. Synagoga Iudaica limites et initium Sabbathi posuit a sole occidente. Ab occasu enim solis usque ad occasum, dies numerabant Iudei. Lubet hic quaedam adiicere, quae ab ipsis Iudeis studiose de Sabbatho eiusque initio obseruantur. MAIMONIDES in Schabb. c. V. inquit: *Ab eo tempore, quo occidit sol, usque dum apparet tres stellae mediana, uocatur בין שמשות inter soles, et diuum est, num tempus illud sit die, an nocte. Intra illud tempus ergo non accendunt lucernam.* Ita etiam Hierosolymitani in Commentario Babylonico Schabb. c. I. aiunt: *Apparet stella una? certe adhuc dies est. Due? dubitatur, an dies sit. Tres? non est absque dubio. Vespere Sabbathi si quis opus facit, post uisam stellam unam, absolvitur; si post duas, tenetur ad sacrificium pro transgressione dubia; si post tres, tenetur ad sacrificium pro peccato.* Idem etiam circa exitum Sabbathi praecipiunt Talmudici Canones. Sabbathum Beatorum tunc etiam incipiet, quando sol occasui atque exitio declivis erit, ueste scilicet mundi, sole ad exitiosum suum inclinante interitum. 2. Petr. III, 10.

§. V. In templo Iudaico, inter sacra magnum fuit silentium et tranquillitas, ut sine ullo strepitu ac clamore cuncta peragerentur. DAVIDES dicit Psalm. LXV, 2. *לך רמיה תהלה בציון Tibi silentium laus est, in Zion cui et loca Psalm. CXXXII, 14. Es. XXXII, 17.* opportune assentiuntur. Hoc ipsum silentium sabbaticum Deus in deliciis habuit. Haud enim, merum fuit silentium, sed silentium admiratione innixum. Non dubito afferere, in futura coelestium vita, magnum fore silentium coram infinito Deo. Nam eiusmodi silen-

silentium indicat reuerentiam et timorem erga Deum, quia praesente uiro quodam insigniori, honoris ergo filemus.

§. VI. Iudei, Sabbato uespere coepito, lampades accendisse dicuntur, quibus aedes exornabant, ut earum luce, per totam sabbaticam noctem, et domus, et plateae illuminarentur. Ritui huic Synagogae traditiones omnino assentiuntur. In Commentario Babylonico Schabb. c. I. dicitur: *Qui accendit lucernam sabbaticam, accendat, dum adhuc dies est, ante occasum solis.* Idem MAIMONIDES in Schabb. c. V. tradidit: *Tenentur et uiri et feminae ad accendendum lucernam in domo, Sabbato.* Etiam non sit homini, quod comedat, mendices ostiatim, ut acquirat oleum, et accendat lucernam. Huic consuetudini ipse LVCAS XXIII, 54. suffragari uidetur, si ait: Καὶ ἡμέρα ἡ παρακυνὴ καὶ σάββατον ἐπέφωσε. Et erat dies præparationis et Sabbathum illucescebat seu oriebatur. b) LVATHERVS: Es war der Rüsttag und der Sabbath (instar aurorae aut solis) brach an. CASAV-BONVS quidem uerbum ἐπέφωσε intelligit de ortu lunae; c) sed cum Sabbathum uespere diei incipiebat, luna saepius media nocte demum

b) Quia stellae uespere oriuntur, ut noctem illuminent, factum est, ut nox Iudeis, uespera in primis, appelletur נַעֲרָה lux. Vid. Peccatis. I. bal. I. In Baraoth fol. 3. dicitur: *Vnde crepusculum vocatur אֹרֶה lux?* Inde, quod scribitur: *in crepusculo, uespere diei.* Prou. VII, 9. Vesperem non improprie dici lucem ex Psalmo CXLVIII, 3. Laudate eum omnes stellae lucis, appetet. Syrus illud tempus, quo facta uersus L-

LVI. enarrantur, adpellat apud LVCAM:

i. e. crepusculo Sabbathi. Idem quoque in aliis obseruatur locis, ut uespera Syro lux uel crepusculum adpellitur. Hinc nonnulli etiam locum LVCÆ ita exponunt, ut Sabbathum incipiens, ideo illucescere seu oriri dicatur, quia uespere seu initio Sabbathi stellae oriuntur, quae cum nocte et crepusculo Sabbathi communicant lucem. Ad Lampadum consuetudinem etiam spectat IEREMIAS, c. XXV, 10. et HOSÆAS, c. II, 11. ubi lampades sunt signum gaudii. Nam in Sabbatho non erat luctus, sed summa laetitia beneficiorum-

que recordatio. ἐπέφωσε Syro est splendens. Part. Praef.

Peal. r. fulgit, uel luxit.

c) In Exercitationibus contra Baronium, Exercit. XVI. n. 15.

mum surgente ac oriente, merito ipsum refutauit, de DIEU apud WAL ad Luc. XXIII. Consuetudo ista accendendi lucernas ita usu apud Iudeos inualuerat, ut etiam tuba signum daretur, quo quisque accenderet lucernam sabbaticam. Ecce! hunc ritum Sabbato aeterno haud repugnare. Beatis, uaticinante ESAIÄ, nouilunium seu noua lux omnino orietur. Non solum enim corpora Electorum, lucis coelestis et stellarum instar fulgebunt; Dan. XII. 3. sed Deus ipse illuminabit coelestem Hierosolymam. Ἡ γὰρ δόξα τῷ Θεῷ ἐφά-  
τισεν αὐτὸν, καὶ ὁ λύχνος αὐτῆς τὸ ἄρνιον. i. e. gloria Dei illuminabit istam et lucerna erit Agnus. Apoc. XXI. 23.

§. VII. Talmudici Scriptores memoriae tradiderunt Ministrum Synagogae, ueste Sabatti, in tecto domus excelsae, tuba sexies cecinisse, ut inde omnibus innotesceret de introitu Sabatti. Cantus primus factus est, ut cessarent ab operibus suis in agris; secundus, ut cessarent a suis in urbe; tertius, ut accenderent lucernam sabbaticam. Buccinis et tubis Iudeos usos fuisse Sabbatis, testatur etiam IOSEPHVS Lib. III. Antiquit. Iudaic. cap. XII. „In allen „Städten und Landschafften, inquit LVNDIVS, wurde der Sabbath „eingeblasen. Im Tempel bließ ein Priester ihn aus den Fenstern der „grossen Feuer-Kammer, mit der Drommete ein. In allen andern Orten aber wurden die Hörner geblasen, dergleichen Hörner in allen Schulen waren. Mit diesen bliesen sie aus den Schulen oder andern hohen Dörfern, und zwar sechsmahl. In Alten Jüdischen Heiligtümern p. 942. Hocce Synagogae ritu, Christi quoque uerba inniti uidentur, si Matth. X. 27. inquit: Κνεῖς εἰτε ἐν τῷ δωμάτῳ, h. e. praedicate tam studiose euangelium, ut omnes audiant uos, quasi ex loco excenso, tuba aliquid illustre annunciantes. Tubae in Sacro Codice quoque saepe fit mentio, cum MOSE testante, signo tuba dato, Israëlitae ad tabernaculam congregatebantur; tum etiam fidei euangelicae praconium sono tubae assimilatur. Es. XXVII, 13. Cuncta ista a Sabbato aeterno haud sunt aliena. Tuba enim signum dabitur Elephas, ut resurgent ac ingrediantur quietem aeternam. Angeli, Ministri Synagogae et Congregationis Sanctorum, sono tubae signum dabunt, ut sepulcris caducaeque humanitatis exuuiis relictis, Beati ad Sabbatum supracoeleste conueniant. Matth. XXIV, 31. 1. Cor. XV, 52.

## §. VIII.

§. VIII. Singulari cuidam Rabbinorum Schola sententiae indulget, quae, licet omnem effugere castigationem uix queat, fabulosique nugis omnino turgeat; rem ipsam tamen, scilicet septimum diem, quietis aeternae typum egisse, non ignorasse Iudeos inde sane appetet. Apud hanc enim reprobata gentem nunc usu inualuit, ut, quasque ipsa adhuc ueritatis reliquias possideat, multis soleat obruere ineptiis, ut cuius aera a lupinis dignoscere, Corinthumque adire haud liceat. Iudei *sex millia annorum* (ut habet ELIAE traditio) mundum duraturum, *septimum* uero *Sabbatum* esse, ex sex diebus creationis eruere ac demonstrare moliuntur, ita ut explicatis sex annorum millibus noua rerum facies, nouisque ordo surgeret, et fessa iam pridem gens hominum, melioribus deinceps auspiciis, capesseret beatam quandam requiem. Quae quidem opinio, quamquam, quatenus finem mundi determinat, naturaeque opificio certos limites ponit, haud omni dubitatione sit maior; ansam tamen pie meditandi suppeditat et ipsi Iudei recte sentiunt, si septimum diem typum uitae aeternae fuisse constitutum, suis suffragis confirmant. SOHAR in Genes. fol. 3. 4. edit. Mantuan. Hic est dies Sabbati: *Ille enim est figura terrae uiuentium, quod est saeculum futurum, mundus animalium, mundus consolationis.* MECHILTA fol. 63. 2. *Sanctificatio Sabbati in hoc mundo, fons est sanctificationis futuri mundi,* q. d. Psalm. XCII. Canticum laudis in die Sabbati, שְׁבָתָן שְׁכֹלֶם. Nam aeternitas tota est Sabbatum. Plura uide apud SCHOETGENIVM, in Horis Ebraicis, p. 942. Testium nubem possem in scenam producere, qui mystica Sabbati omina iam iam olim testantur obseruata inter Christianos. Nouerant enim, quietem sabbaticam, haud sine nomine sublimioris otii, homini esse concessam. Ipsius Hippomensium Praesulis AVGUSTINI testimonio in primis confisi, lubenter illum audimus aientem in Genes. *Dici probabiliter potest, obseruandum Iudeis Sabbati fuisse praeceptum in umbra futuri, quae spiritualem requiem figuraret, quam Deus exemplo huius quietis suae, fidelibus bona opera facientibus arcana significatione pollicebatur.* Idem in epistola ad Ianuarium, *septimum creationis diem, sine ueste speculatorus, requiem sine fine meditabatur.*

§. IX. Numerum *septenarium*, hic loci silentio praeterire non possum, qui in Diuiniori Codice ubiuis obuius, eximia quadam se commendare sanctitate uidetur, quia Deus istam iam septimo

sanc*tificauit die. Nunc enim perfectae quantitatis cuiusdam, nunc infinitae, testis euadit.* Taceo hic septuaginta septimanas DANIELIS, c. IX, 25. proferam exempla aliquot significationis prioris illustriora. Iubet Deus Gen. VII, 2. *septena animalia munda in arcum recipi,* et Leuit. IV, 6. *septem uicibus de sanguine isto coram Iehouah differgere.* Argentum etiam *septies repurgatum*, Psalm. XII, 7. nec non domus aedificata super *septem columnas*, Prou. IX, 1. consideratio-ne omnino est digna, in quibus exemplis quasi perfectionis ac sufficientiae quantitatem, numerus septenarius indicat ac commendat. Adeas quaeso sanctissimam Apocalypses scholam, in qua IOANNES de fatis ecclesiae futuris, studiose uaticinatur. Hic enim, uti in aliis Scripturae oraculis, *septenarius numerus pro copioso ac perfecto saepius adhibetur: c. I, 4, II. septem ecclesiae particulares, ecclesiae universalis gerunt personam; septem candelabra, u. 12. septem spiritus, u. 4. copiosam ac perfectam Spiritus Sancti gratiam, et V, 6. septem oculi, sufficientem Dei de omnibus notitiam, absque dubio innunt.* Huc quoque refero *septem millia* piorum tempore Eliae seruata, quae non incuruauerunt genu coram idolis, 1. Reg. XIX, 18. *Septem* millibus haud numerus indicatur determinatus, sed *ecclesia sanctorum* quaedam adhuc *integra* atque *perfecta* et *sufficiens*. Sicut enim Apoc. XI, 13. *septem millia nomina occisorum pro ingenti numero* recententur, ita et h. l. *septem millia* seruatorum nil aliud innunt, quam magnam omnino adhuc piorum inter idolatrias delitescentium superstitem copiam, qui Numinis Veri cultum, curae cordique habuerunt. d) Addere hic lubet AVGUSTINI uerba, hac de re ita grauiter differentis: *Numerus septenario i. Sam. II. uniuersae ecclesiae significata est perfectio, propter quod et Ioannes ad septem scri-*

d) Septem millia ista dicuntur in fontibus: **לְבָעֵל נַשְׁק אֲשֶׁר לֹא־נִשְׁק**  
 Omne os, quod non osculatum est (in) Baal. LXX. Viralis uerbum **נִשְׁק** osculari per προσκυνεῖν interpretatur. Innititur hic adorationis genus antiquo ritu. Homines adoraturi idolum, manu ori admota osculum labii imprimebant, idolum eminus ita deosculantes. CAECILIVS simulacro Serapidis denotato, manum ori admouens, osculum labii impressit. Vid. M. Minucii Felicis Orationis cap. II. Idem tradit HIERONYMVS, qui adorant, inquit, solent deosculari manum et capita submittere. Lib. I. aduers. Rusticum, c. V. Eandem gentium consuetudinem festabantur Iudei idololatriæ, Baali simulacrum adorantes, cuius criminis ab HOSEA etiam c. XIII, 2. grauiter arguuntur.

*Scribit ecclesiás, eo modo se ostendens, ad unius plenitudinem scribere. Et in Proverbiis Salomonis, hoc antea praefigurans sapientia, aedificauit sibi domum et suffulit columnas septem. e) Septenarius numerus ad unitatem ecclesiae refertur, et ad quandam perfectionem mysticus uidetur apparere, ut septimus dies ad perfectionem totius creationis. Solet enim pro uniuersali ponи. Euolue, si placet, Matth. XVIII, 22. ubi mea sententia nouo corroboratur exemplo. Rationem huius locutionis educit KIMCHI f) ex distributione dierum mundi per hebdomadas, septenario suo complexu omnia dimetientes.*

## S E C T I O . VI.

DE

DE NVTV MYSTICO IN CIRCVMSTANTIIS  
ET ACCIDENTALIBVS SABBATI.

## §. I.

*Alias quoque rationes mysticas Sabbato post lapsum superadditas esse, ire inficias haud possum. Non solum enim quietis aeternae figuram agit, sed in signum etiam uerae religionis, falsa insidiis diaboli obrectatoris introducta, et liberationis ex Aegypti seruitiis, immo, in typum quietis sub Nouo Foedere, peculiares Sabbati circumstantiae transierunt. Neque supra uires, neque incongruum est, unam rem, duarum aut plurium rerum esse figuram, si modo diuersus quispam in re adsit respectus, quo adumbratarum rerum repraesentatio nititur. Idem iam iam GLASSIVS l.c. Lib. II. Tract. II. Sect. IV. Art. VII. can. VIII. eruditè exposuit. Magna sane hic obuia datur differentia, circa significatus Sabbati mysticos, quatenus ominantur quietem aeternam et caetera beneficia Sabbato adumbrata. Illa enim essentiam ingreditur Sabbati, ut ipsa ex Sabbato proscripta, Sabbati etiam natura ac ueritas collabefiat. Haec posteriora uero, non tam in ipsa Sabbati essentia, quam potius in eius circumstantiis delituerunt et progrediente oeconomia diuina, postea accesserunt ac cum caerimoniis desierunt.*

*§. II. Iam olim Praepotens Numen, cum inter peregrinantes Israëlitas singulari commoraretur praesentia, solenni mandato diem*

F 2

sabba-

---

e) De Ciuitate Dei cap. IV. f) in Schol. Ies. XLI, 1.

sabbaticum, signum inter יְמִינָה et Israëlitas, tanquam uerae religionis notam Exod. XXXI, 13. constituit. Qualis nota et in statu paradisiaco Sabbatum fuisset, quanquam non adfuisse falsa religio. Nam datur etiam cognitio boni, quamuis non sit existentia oppositi, scilicet mali. Deus h. l. non tam ipsum Sabbatum, quam potius continuam septimi diei celebrationem, alio quodam hebdomadis die restauratam, inter Israëlitas nunc diuino beneficio obseruandam, tesseram inter se et ueram ecclesiam constituit. Etenim Israëlite seruitiis Aegyptorum adhuc inservientes, continuisque laboribus pressi, diem septimum celebrare non potuerunt. Hostibus uero eorum nunc submersis, ipsisque Israëlitis in libertatem vindicatis, in signum uerae religionis obseruatio Sabbati Israëlitis mire euadit. Sabbatum uerae religionis notam esse, etiam illud uatis Ieremie, lamentando defolatae Iudeae lessum facientis, indicat: *Hostes deriserunt Sabbathum eius*, i. e. cultum ac religionem eorum. Thren. I, 7. Diebus enim Sabbati apparebat, hostesque cognouerant, quem Deum Iudaei, quaque reuerentia, uenerabantur, quamque religionem sectabantur, profitebantur, tuebantur.

§. III. *Signum memoriale* fuit Sabbatum, populi ex Aegyptorum seruitiis in libertatem vindicati. Deut. V, 6, 15. Ezech. XX, 10, 12, 20. In his locis, Deus *dedisse* Israëlitis *Sabbatum* dicitur, ut sciant, se esse Dominum Deum illorum, istum scilicet Dominum, qui ipsos ex Aegypto eduxit. Non simpliciter dicitur, Deum iis tunc temporis dedisse diem septimum seu Sabbatum; sed Sabbatum dispositissime illis in signum educationis e seruitute. Distinguendum ergo *reflexuum* ab *absoluto*. Memoria creationis et promissio aeternae quietis est communis ratio, quae ad omnes pertinet gentes; memoria autem seruitutis ademtae accessit in *restoratione* Sabbati, et ad solos Ebraeos spectat. In Aegypto enim tam sordida fuit Israëitarum conditio, ut ab Aegyptiis, sub coronam, ut aiunt, missi, propter continuam seruitutis duritiem, continuos iunctosque labores, quibus ne quidem die septimo erant exempti, feriari, Sabbatumque celebrare in Aegypto CCCC. annos, Act. VII, 6. a) non potuerint. Quare praec-

o) Hicce locus multis interpretibus crucem figere solet, cum hic tantum CCCC. anni numerantur; Exod. XII, 40. autem CCCCXXX. anni habitationis Israë-

praecepit Deus Israëlitis, pace blanda quietis alumna, nunc perfruentibus, ut laqueis iugi solutis immo manu diuina abruptis, non propriis solum corporibus, quietem quoquis die septimo largirentur; sed seruis quoque suis, feriandi ueniam beneuole concederent, et in sabbatica illa quiete degentes, libertatem a Deo restitutam in memoriam reuocarent, celebrarent, grata mente recolerent. Merito hic loci omnino quaeritur: quomodo Deus Sabbatum disposuisset, ut esset *signum liberationis* ex Aegypto? Fundamentum signi omnino adesse debet in Sabbato, si ipso, liberatio Israëlis designatur. In essentialibus, scilicet in quiete et cultu sabbatico hoc fundamentum delitescere nequit, neque in die a creatione praecise septimo, cum haec omnia, republica Iudaica longe priora exstiterint, nullumque liberationis signum esse queant. In circumstantiis itaque Sabbati inuestigandum erit fundamentum signi, quo commode ad signatum referatur. Asserere hic non dubito, Sabbatum Iudeorum, non incidisse in diem a creatione praecise septimum, sed in illum potius diem, qui ab egressu Israëitarum ex Aegypto septimus erat, isque ideo a Deo ad Sabbatum fuit constitutus, ut populus peregrinum liberationis beneficium Sabbatis sedulo meditaretur. Deuter. V, 15. dicitur: *quia seruus fuisti in Aegypto, et Deus eduxit te manu forti, על־יכן ideo præcepit tibi Deus, לעשות את־זאת תשפט ad celebrandum diem huius Sabbati.* Non solum *in demonstratiuum*; sed etiam uox: *ideo*, et phrasis: *dies huius Sabbati*, innuit determinationem peculiaris diei, ad Sabbathu facienda, quae a liberatione Israëlitis dependebat. Huic expositioni egregie suffragatur locus Exod. XVI, 23, 29. ubi post egressum ex Aegypto restituitur Sabbati obseruatio, et in textu authenticō dicitur: *Deum disse Israëlitis שפט hoc Sabbathum.* *In demonstratiuum* innuit illum diem, quem Deus dederat Israëlitis ad celebrandum Sabbathum, iam olim quidem a creatione institutum, nunc uero iterum solemne restauratum. Non potest probari Deum ipsum Sabbathum Israëlitis de-

F 3

diffe

Israëitarum in Aegypto recensentur. In locis Gen. XV, 13. A& VII, 6. attendendum est ad uerba *affliger eos*, quae Exod. XII. non inueniuntur. Distinguimus ergo hic annos *habitationis* in Aegypto, ab annis *seruitutis*. CCCXXX. annos habitauerunt Israëitae in Aegypto Exod. XII. CCC. annos autem seruiebant tantum, A& VII. Nam uiuo Iosepho, triginta annos pace fruebantur.

disse hic loci, quia Sabbati praeceptum non ignorabant in Aegypto. Necesse ergo est, ut intelligatur nouus in hebdomade dies ad Sabbathum celebrandum destinatus, qui incidat in diem ab egressu Israëlitis ex Aegypto septimum. Talem diem uersio LXX uiralis eleganter exprimit: Κύριος ἐδώκεν ὑμῖν σαββάτα τὴν ἡμέραν τάυτην. Cetera quoque assentuntur. Nam ideo promittit Deus dare isto die cibum, quia constituisset illum ad Sabbathum. Accedit et hoc, quod Paschatos solemnia semper inciderint in diem Iudeorum sabbaticum, Io. XIX, 31. ubi dies Paschatos κατ' ἔξοχήν uocatur: μογάλη ἡμέρα σαββάτου. Pascha autem celebrabatur in memoriam ultimae in Aegypto noctis cruentae, quae egressum ex Aegypto proxime antecessit. Paschate igitur in illud tempus, quo Israël ex Aegypto statim educebatur, incidente, sequitur, ut Sabbathum etiam in diem ab egressu septimum inciderit, quia Paschatis celebratio Sabbatho quotannis semper coepit, et dies a Paschatis die primo septimus, iterum fuit sabbaticus et sic porro. Immo, si forte acciderit, ut propter annorum dies intercalares, Pascha in uicinum Sabbatho diem uel alium hebdomadis inciderit, statutum est a Synedrio magno, ut in sequentem sabbaticum transponeretur Pascha, teste IONSTONIO *loco cit.* Parum proficiet, si quis existimet, *dedisse* Sabbathum, per *reddidisse*. Exod. XVI, 29. Ez. XX, 12. posse exponi. Nam Iudei in Aegypto haud ignorarunt Sabbathi praeceptum, sed illud a Patriarchis omnino acceperant, quamuis propter continua seruitia illud obseruare haud potuerint. Neque Deus Sabbathum constituere rite potuisset *signum liberationis et educationis ex seruitute*; nisi diem ab egressu ex Aegypto septimum ad Sabbathi facienda sapienter disposituisset. Ipsi enim Sabbatho et liberationi ex Aegypto nulla intercedit ac respondet *correlatio*, quae tamen inter *signum* et *signatum*, esse omnino debet, quia signum potentiae cognoscendi signatum repreäsentat. Quando uero Sabbathum in desertis, in diem ab egressu septimum translatum fuisse dicitur, tunc habebis fundamentum seu *relationem signi ad signatum*. Signatum est liberatio ex seruitute; signum uero *rememorarium*, dies a liberatione septimus. Idem quoque Rabbinorum testimonii stabili potest. Scriptores enim Talmudici et in primis MAIMONIDES b) tra-

b) Vid. LIGHTFOOT in *Horis Ebraeo-Talmudicis et celeberrimus DEYLINGIUS in Difert. de Poculo Benedictionis Iudaico.*

tradunt, Patrem familias, poculo benedictionis sumto, nocte sabbatica beneficium liberationis ex Aegypto coram domesticis commemorantem, gratias egisse Deo, quod Israëlem ex Aegypto eduxerit, et ad illustris beneficii memoriam praesentem diem disposuerit. Erat praeterea dies Iudeorum sabbaticus tessera ac nota, qua a caeteris gentibus Israëlitae distinguebantur. Ez. XX, 20. Gentibus autem diem a creatione septimum adhuc colentibus, quod per traditiones nepotum Noachi non statim oblitteratas, ad gentes peruenerat, testibus **SYRBIO**, in *Dissertatione de Sabbato gentili*, aequa ac aliis, c) necesse fuit, ut Praepotens Numen in alium diem, post liberationem ex Aegypto, Sabbatum transferret, quo Sabbatum genuina esset tessera, Iudeos uere a gentibus distinguens. Sabbatum enim non potuisse fieri eiusmodi nota, si gentes cum Iudeis eundem coluisserint diem septimum. Multum sane huic expositioni adderetur ponderis, si Annalium et Fastorum monumenta existerent, quibus posset confirmari, Iudeorum sabbaticum diem fuisse ab egressu ex Aegypto septimum. Tot autem saeculorum moles, tot temporum iniuriae, tot dubiorum in Chronologia et incertitudinis lites, omne studium defatigant ac paene suppressunt. Memoria enim antiquae aetatis obscuritate uexatur, uix annos circa Mosem menses aut hebdomas determinabis. Optime de orbe litterario merebitur, qui operam nauaret, hebdomas a mundo condito usque ad Mosem numerare, sed dubito, an quispiam tantum conficiat, cum tot sint sententiarum de annis mundi eorumque computatione diuertia. Inopportune autem reminiscientia liberationis Aegyptiacae et consideratio Sabbati, *signum inter Deum et Israëlitas sacramentale* in Caluinianorum scholis, duce **SPANNHEMIO** d) appellatur. Mera enim tantum fuit *χρονις* et relatio, inter restaurati Sabatti diem et liberationem populi. Calvinianorum haec appellatio domesticis innititur erroribus, dum Sa-

cra-

c) CLEMENS ALEXANDRINVS *Lib. V.* σεωμάτ fol. 600. et IOSEPHVS *Lib. II.* contra APPIONEM, de SOLONE, PLATONE, HESIODO, HOMERO, etc. dicunt, quod septimum diem tanquam sacrum fuis celebrarint carminibus. CLAVDIUS SALMASIUS ex Chronologicis GEORGII SINCELLI obseruauit, quod antiquissimae gentes, priusquam ratio computandi per annos et menses inuenta esset, temporum spatia per septimanias distinxerint. Plura uide apud RIVETVM *Comment. in Genesin Exercit. XIII.*

d) *In Dubiis Euangelicis T. III. Dub. CXIV.*

cramenta apud istos in nuda euadunt signa, cum tamen sint efficacia organa, seu media, per quae Deus gratiam suam offert, oblatam credentibus confert, fidem producit, productam conseruat, conseruatam confirmat, confirmatam remuneratur, eaque ad salutem aeternam operatur. Dissidentes hic ineptias cum HERMANNO WITSIO in Geconom. Fod. Lib. I. Cap. VI. et CLOPPENBURGIO in Syntagm. Select. Exercit. necesse et complicare uidentur, qui Paradiso et arbori uitiae in primis rationem sacramentalem tribuunt. Vtrique enim Sacramenta statuunt ante Sacra menta seu ante lapsum, cum tamen sint euangelii post lapsum manifestati sigilla et appendices. Iudeorum Sabbatum fuit tantum signum *indicantium* gratiae praesentis et praeteritae. Si uero Sacramentum fuisset, gratiam euangelicam omnino debuisset conferre ac obsignare, ut Sacramenti munere perfungentur. Sabbatum autem contulisse gratiam euangelicam et exhibuisse ex Sacro Codice nullibi sane probabitur.

§. IV. Appellatur quoque Sabbatum, *umbra futurorum* seu Noui Foederis, Coloss. II, 16, 17. Sabbatum enim Iudeorum typus fuit spiritualis liberationis a mortis et peccati seruitiis. Hicce autem typus Sabbato non est essentialis, ut aeternae quietis repraesentatio, alias Sabbato ante lapsum uel ante Mosem conueniret; sed tantum circumstantiis Sabbati, Sabbatoque in primis Iudaico innititur. Quatenus enim dies Sabbati ab egrefsu ex Aegypto septimus cum solenni restauratione cultus sabbatici circumuestitus est; eatenus erat signum eximii liberationis beneficii; eatenus caeremoniis adnumeratur et liberationem futuram fidelium per Christum ex Aegypto spirituali, diaboli mortis et peccati potestate, egregie adumbrabat Zach. IX, II. Eccl. XXXII, 18. PAVLVS τὰ σάββατα umbras adpellat *Futurorum*. Non naturalem, sed artificialem et pictoriā intelligimus umbram. Pictores enim, prius σκιὰ et umbratili quadam delineatione praemissa, post, uiuis quasi coloribus imaginem absoluunt, umbra et delineatione prima tunc euanescente. Patet haec explicatio umbrae ex oppositione σκιᾶς et εἰώνος, Ebr. X, 1. Liberatio itaque Aegyptiaci, Sabbato Iudaico repetita ac recordando designata, fuit umbra ac delineatio spiritualis liberationis N. T. haecque illius εἰών seu imago erat. Messias enim restituit istam quietem, cuius iacturam homo per lapsum fecerat. Ecce eximiam oeconomiae diuinæ indolem! Exoscular hic merito sapientiam diuinam et religiose admiror.

Nul-

Nullum, crede mihi, in V. T. publicum habebis beneficium, Numinе Israëli adflictio suppetias ferio ferente, in quo non mysticum quoddam sublimioris gratiae ac fauoris existat uestigium. Nolo Davidis Goliathum caendentis victoriā copiose interpretari, cum cantor diuinus Psalm. IX. illustre istud factum, mystice iam iam exposuit. e) Barbari enim hostis, sacra diuina obtrectantis, diabolus fidelium ac Dei obtrectator, personam induit. Victor autem Davides, uerum Israëlis redemptorem eleganter adumbrat. Praesens quod euoluimus beneficium, vindicatio Israëlis e seruitute in libertatem ministerio Mosis, multa admiratione omnino est digna. Membribus enim nostris sistit spiritualis liberationis beneficium, quod noua illa circumstantia Sabbato in desertis superaddita, fidelibus V. T. Deus benigne pollicebatur. Cuncta sane, quae ecclesiae Israëliticae

- e) Dauides non sine diuino nutu ac omni, Barbarum aggressus, adiutorie et speculatore Deo, cum hoste, animo strenuo decernit. Relicto enim in pascuo grege, lupum mordacem, castra piorum maledicendo inuidentem, sine telo ac ferro, funda petuit, ut, uulnere maledicentissimo capiti inficto, humi prostratus ceciderit. Futuram hic Christi boni Pastoris, cum lupo infernali pugnam et victoriā, Israëlitis ostendit; solennique cantico, publice suos hac uictoria solatur. Eundem typum hic nobis titulus Psalmi IX. aperit: לְמִנְחָה עַל־מֹתָה לְבִן מִזְמָר. Hic non agi de morte filii, sed magni cuiusdam hostis, indicant u. 3, 5, 6. et in fine Psalmi, precando uaticinatur Dauides, tali modo futuros ecclesiae hostes iri profligatum u. 19, 20, 21. Hostis, quem Dauides prosternit, dicitur נָאֵר אֶלְעֹזֶר u. 7. Emphaticum הַ innuit aduersarium singularem, id quod commode cadit in Goliathum. בֵּן h. l. minime notat filium; sed inter uel medietatem. Est enim pro מָתָה, ut sit mors uiri medietatum, quo alluditur ad 1. Sam. XVII, 4, 23. ubi Goliathus adpellatur אִישׁ הַבְנָם, uir medietatum, intermedius scilicet interponens se inter duo castra, duello pugnam transsturus. Vel, uir duorum, seu, qui inter duos, h. e. duellator, cincit Zwey-Rämpffer. R. KIMCHI: Propterea, quod quotidie exiret, inter duos exercitus, vocatur אִישׁ הַבְנָם. Chaldaeus titulum Psalmi ita uerit: לְשִׁבְחָה עַל מִיתוֹתָךְ נָפָק טְבִינִי מִשְׁרָחָא תְּוִשְׁבָחָתָךְ לְרוֹה. Ad canendum super mortem uiri, qui exierat de inter castra, canticum Dauidis. Syrus autem manifeste titulum Psalmi et sic ipsum Psalmum exponit de Christo, si inquit: Dauidis. De Christo solitum ac regnum suscipiente, hemique profligante.

in Aegypto contigerunt, a Deo ita fuere temperata, ut fata eius in Aegypto, spiritualis ecclesiae N. T. beneficia ac faciem eleganter praefigurarent. Aegyptii carnifices, sunt diabolus atque reatus peccati; iugum seruitutis, peccatum originis, e quo actualia laboriosae molestiae instar pullulant; Moses liberator, est Christus auctor et restaurator salutis; Opus huius spiritualis liberationis completum est resurrectione Christi, qua omnes fideles, e potestate peccati simul fuerunt egressi; dies ab egressu Christi e sepulcro septimus, nobis est sabbaticus, ut Iudeis die ab egressu Aegypti septimo Sabbatum fuerat. Permulcebat Deus animos fidelium Veteris Testamenti quoquis Sabbato, spe expectandae spiritualis liberationis, ut omni cogitatione in futurum hoc beneficium eiusque auctorem, liberatione Israëlitarum admoniti ferrentur. Haec liberatio fidelibus eximiam quietem fuit largita. Caeremoniis enim, quibus ecclesia V. Test. difficilium instar laborum defatigabatur, per aduentum feminis benedicti remotis, gemebundae ecclesiae lacrumae ac desideria exaudiebantur, ut libertatem nachta, neque amplius insidiis peccati afflita, sub iugo caerimoniarum haud desudaret, sed uera eaque eximia frueretur quiete.

§. V. Quamuis autem hae posteriores mysticae Sabbati rationes, sacro Numinis adflatu et iussu innitantur, nihilo tamen secius Sabbato tantum sunt Accidentales, non Essentialis. In consecratio-ne enim diei septimi perinde ac sabbatici non fuerunt intentae, ut aeterna quies, quia homo adhuc integer nulli seruitutis periculo ac caerimoniarum iugo expositus esse potuit. Ad ea namque, quae post et ob deplorandum hominis lapsum demum consecuta fuerunt, non datur respectus in ipsis, quae ante lapsum fuerunt diuinitus disposita; nisi Deum auctorem lapsus aestimare uelis, ut mystica illa liberationis significatio sabbatica ante lapsum intenta, post eum demum in effectum daretur. Accidentales ergo caetera Sabbati omina mystica ac nutus fuerunt, quos post lapsum demum Sabbatum per nouas circumstantias fuit adeptum. Quodsi Sabbato essent essentialis, non exoleuisset eorum umbra; sed stante adhuc Sabbato, quoque ualent aequa ac magni aestimarentur.

§. VI. Tales sane sunt accidentales Sabbati respectus mystici, qualis in Iride, post exitiosas diluvii undas ac deuastationem deprehendis. Iris quidem iam ante diluvianam mundi submersionem fuit

fuit atque apparuit, multis licet in alienam abeuntibus sententiam, a quorum partibus, b) LUTHERVS, f) BRENTIUS, e) Pontificiis ALCVINVS et GLOSSA ORDINARIA, in primis stare uidentur; sed mystica Iridis ratio, post diluvium demum coepit et ipsi a Deo est superaddita, postquam fluctibus hausti misere perirent homines, ut signum esset gratiae et promissionis diuinæ, non amplius rura undis ac fluctibus submersurae. Iris est signum gratiae diuinæ, non qua suam essentiam, sed quatenus ipsi noua circumstantia post diluvium adhaesit. In conspectum enim prodibat Iris diluvio cessante et Solis redditum, coelos serenos ac a praegnantibus nubibus liberatos ominabatur ac uere statim adnunciabat. Hac noua Iridis circumstantia usus Deus, disposuit eam, ut uoluntatem diuinam de terra non amplius submergenda aquis, designaret. Non poterat esse signum gratiae, quatenus est creatura, quia erat ante diluvium, si non actu, in suis tamen caussis; sed quatenus Iris est nouis circumuestita circumstantiis post diluvium, eatenus habet relationem ad gratiam Dei, ut signum ad signatum. g) Idem de posterioribus Sabbati mysticis nutibus sentire licet. Sabbatum enim iam iam exstitit, priusquam in signum eductionis ex seruitute Aegyptiaca, et typus quietis spiritualis in N. Test. euasit, Sabbatum hoc posteriori uestitu mystico circumdataum naturam Pignoris induit, quod saepe existit ante Oppignorationem, quamuis nondum sub relatione illa foederali ac pignoratitia, quae noua addita circumstantia nititur. Ita signum etiam seu res, quae signat, saepius ante existit, priusquam ad suum signatum refertur.

§. VII. Collapsa nunc Iudeorum republica, sublatis eorum sacris ac caerimoniis, impletaque promissione quietis sub N. Test. hae Sabbati posteriores rationes mysticae fuerunt sublatae et in Sab- bato non amplius reperiuntur. Memoria quidem beneficii resurrec- tionis, Christianorum Sabbato recolitur; sed iste nutus mysticus

G 2

et

f) In Genes. p. 114.

g) Eruditus CHRISTIANVS CHEMNITIUS Iridem considerat ac distinguit, uel ratione essentiae suae, uel ratione additi noui officii et uerbi diuini. Priori modo dicitur ante diluvium fuisse; posteriori autem modo post diluvium fuit instituta, ut testis et signum diuini foederis. in Quaest. in Genes. c. IX. qu. III. Pulchre de coloribus eius scribit LUTHERVS l. c. Colorum ratio a Deo sic ordinata est, ut non solum aquaeus color esset memoria præteritae irae; sed etiam igneus nobis pingeret futurum iudicium.

et Rememoratiuus, non tam in ipso Sabbato, sed in eius circumstantia, scilicet in die a resurrectione Christi septimo ad Sabbathum constituto delitescit ac innititur. Iste autem respectus typicus, quo scilicet quies aeterna nobis praefiguratur Sabbatho, adhuc ipsi essentialis est, cum memoria creationis, et non prius, quam mundo destructo cessabit. Vt innam uero omnes Christiani Sabbatha celebrantes, illustrem Sabbati antitypum, mysticaque eius omina studiose meditarentur, et Numinis exequerentur voluntatem, quod eam ob causam diem septimum sanctificauit, ut creationis non solum memoria renouaretur; sed in primis etiam, ut singuli de Sabbatho illo aeterno, ad quod humanitas a Deo condebat, pie admonerentur. At prohdolor! Plerique diuersum ac contrarium et doctrina et uita exprimunt. Quippe ferias et otium agere nouerunt etiam ii, qui a Christo, omnique pietate sunt alienissimi. Quemadmodum uidemus totum illud examen et otiosam ac mollem turbam religiosorum nostrorum, qui quotidie in templis commorantes cantillant, boant, uociferantur; sed nullum sanctificant stentorea uociferatione et lupino suo ululatu Sabbathum. Ministrorum ecclesiae est, quos in uinea Christi strenuas agere oportet uigilias, rude uulgus studiose docere crebrisque admonitionibus sollicitare, ne Sabbathum celebraturi homines, mysticum Sabbati respectum obliuione obliterent; sed omni cogitatione die septimo in Sabbati antitypum ferantur. Inficias nemo ibit, hancce mystici Sabbathi meditationem, esse dulce miseriarum temperamentum, in calamitate dolorum emolumentum, in morte ingens solatium. Cum enim a mundo transibimus ad coelestium ciuium contubernia, non relinquimus, si qua commoda mundus habet, sed leuiora cum potioribus commutamus. Quis non oppido lubens argentum auro, silicem gemma commutauerit? Marcescit hic corpus, sed saginatur animus. Marcescit nitor cutis, sed enitescit decus animi. Si per caetera eodem modo cucurreris, intelliges nihil uel falsi boni relinqui mundo, quod non longe praestantiore compendio in Sabbatho coelesti compensetur. Etiam atque etiam memineris oportet, nil aliud esse uitam mortalium, qui omnes rebellis peccati cicatrice stigmatis euaserunt, nisi perpetuam quandam misitiam, teste Iobo, milite tum longe exercitatissimo tum inuictissimo; nimisque falli, uulgus hominum, quorum animos, mundus hic praestigiator blandissimis ludibriis tenet occupatos, qui perinde ac si iam debel-

debellatum sit, intempestiuas agunt ferias, neque prorsus aliter, quam in certissima pace, mirum quanta uiuant securitate, quamque otiosi, in utramque dormiant aurem, cum sine fine tot ferratis uitiorum eopiis oppugnemur, tot captemur artibus, tot appetamur insidiis. Tum a dextra laeuaque, a fronte pariter atque a tergo, mundus hic nos oppugnat, qui Christo quietis beatae auctori cum infestus tum inuisus. Lubricus ille anguis primus, quietis nostrae proditor, nunc in uirenti gramine concolor abditus, nunc in latibulis suis delitescens, centenis contortus uoluminibus, non desinit calcaneis nostris insidiari. Quoquo uersum uerteris oculos, ingens turba miseriarum obuiam ueniet. Qui mundo militant, primum quam multos annos anhelant? sudant? tumultuantur? Deinde pro quam caducis nihilique rebus, postremo quam ancipiit spe, ut penatibus expulsi, saepe dolores subeant. Miseri in hoc altius tolluntur, ut decident altius. Ipsi enim ut uictimae ad supplicium saginantur, ut hostiae ad poemam coronantur. Absque spe otii aeterni, quae potest esse solida ac tranquilla felicitas, antequam tenetur, elabitur. Rex es? tam times, quam timeris, et quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es. Fasibus et purpuris gloriari? uanuus error hominis et inanis reverentia dignitatis, fulgere purpura, mente turbari. Diues es? sed fortunae male creditur, et magno uiatico, breuis uitae uia non instruitur, sed oneratur. Nullus enim est miseriarum finis, ut quo uiuitur diutius, hoc uiuatur molestius. Fortuna plerumque sequitur fugientes, fugit sequentes, otiaque nostra perpetua negotia esse omnino uidentur. Beatorum autem uita sabbatico die mystice adumbrata, hominem solatur, solatioque per uolupi, promissio aeternae quietis animum demulcit, ut missis huius mundi deliciis, patientia occallescat Christianus et sub calamitatum ac angustiarum doloribus mortem et praemia futura tranquille praestoletur. Augustae enim beatorum sedes, cultu sunt insignies et dotibus opulentae, dant morbis medelam, spem adflicitis, opem miseris, leuamentum laboribus, cautelam periculis, solatium morti. Mors enim molestis mortalitatis laboribus imponit terminos; mors sublimioris quietis aduentum ominatur; morte ad immortalia Sabbati otia transimus, demigramus, euehimur. Primi Christiani hac expectatione confisi, Sabbato saepius totum corpus uiri, cremari sine ullis eiulatibus pertulerunt, crucis et tormenta, feras, omnes suppliciorum

G 3

terri-

terrucas, tranquilla doloris patientia illudebant. Nemo sane sine ratione poenam aut tormenta subit, quum possit euitare, nisi praestantioris praemii spe concitatus. Sciebant Deum non adnectere ipsis arescentem coronam, sed aeternis floribus uiuidam. Sciebant, turbidam suam uitam, cum aeterno otio commutari, et modesti Dei liberalitate; securi spe futurae felicitatis, quo quis Sabbato animabatur. Beati enim resurgimus et futurae quietis contemplatione iani uiuimus. Idem fortasse istis Iudeis solatio fuit, qui die sabbatico oppugnati, hostibus aggressoribus haud restitere. Etsi sententiae, quae die sabbatico defensionem uitiae prohibet, haud patrociner; uix ac ne uix quidem ceruices ac capita strictis militum ensibus, nullibi renitentes tranquille porrexissent; nisi in hoc horrido stragis cruento quietis coelestis promissione fuissent animati certoque peruersi, Sabbatum istud, quo caedebantur, sibi fore transitum, ad Sabbathum, ad otia aeterna, quibus praesens periculum sublimiori quiete multoties compensetur. Ibi enim nullus belli tumultus fideles terret ac turbat; nulli armorum strepitus personant, sed colitur pax immortalis ac perfecta tranquillitas.




## SECTIO VII.

DE

## DIE CHRISTIANORVM SABBATICO.

## §. I.

Iure meritoque olim dies Iudeorum sabbaticus ab Aegyptiaca libratione numeratus, ecclesiae Apostolicae auctoritate commutabatur. Adumbrat enim spiritualis liberationis otia, morte Christique resurrectione acquisita et absoluta. Inde primi Christiani, signo ac omni huius beneficii dimisso, ipso nunc praefente beneficio ac otio perfruebantur, ne umbrae ac signi nimium tenaces, ipsius beneficii signo designati ac beneuole promissi, facerent iacturam. Quod si dies, quo Israël ex Aegypto liber egreditur, tantus erat, ut in ipsis memoriam, ab ipso hebdomas Sabbathumque numeraretur; eo magis ille dies in Sabbathum nobis euasit, quo Messias et per eum omnes homines, e fauibus mortis liberi egrediuntur. Vt itaque libertate, qua, largiente Christo, gaudebant, fideles uterentur, intolerabili caerimonia-

moniarum iugo ceruicem haud porrigentes, constituerunt diem dominicum a resurrectione Victoris nostri septimum, ad sacra et mysteria facienda, ne eximium liberationis beneficium obliuione sordescat. Vestigia sane omnino dantur in diuiniori Codice, quae ante dictis conuenienter annuunt. Ipse IOANNES iam fecit Ἡμέρας Κυριακῆς mentionem, in sancta Apocalypses schola, c. I, 10. Dominicaque dies resurrectioni Domini suos debet natales. Verba Apostoli κατὰ πηγὴν Syrus interpres uertit. Ἡμέρα enim κυριακή ipsi est,  Dies Dominica. Dictus autem hic dies fuit Dominicus, non solum propter resurgentem, sed etiam apparentem eo die Dominum. Magna enim Apostoli exultabant laetitia, gaudioque permulcebantur per uolupi, nunciis resurrectionis apparitionem Domini adnuntiantibus. Postea quoque eodem die Christus nonnullis uicibus se uidendum dedit Apostolis. Ioann. XX, 19. Adparuit discipulis talis, ut fuerat, agnoscendum se uidentibus praebuit simul iunctis, et substantiae corporalis firmitate conspicuus, ad dies quadraginta remoratus, tunc in coelum circumfusa nube sublatus, ut hominem quem dilexit, quem induit, quem a morte protexit, ad patrem uictor imponeret. Christum Apostoli non amplius Magistrum, sed κατ' εξοχὴν Dominum, forma serui et exinanitionis iterum deposita, post resurrectionem adpellitarunt. Ipsum enim Dominum salutant, qui summo rerum nunc potiebatur dominio. Ioann. XX, 18, 25, 28. Apoc. I, 8. Accedit denique miraculosa donarum Spiritus Sanctus hoc die effusio. Act. II. Apostoli enim hunc diem, quo coelesti animabantur sapientia, orando consumebant, eumque, preces ad Deum supplices fundentes, Sabbati instar sanctificarunt. Alia etiam loca Act. XX, 7. 1. Cor. XVI, 2. a nonnullis ut diei Dominicæ sanctificatae testimonia in scenam producuntur, sed robore argumenti haud demonstrato. Aliquid lucis omnino adferunt, recte si exponuntur. In fontibus graecis ita recensentur: ἐν τῇ μίᾳ τῶν σαββάτων, in prima hebdomadis die. Hebdomas h. l. σαββατα adpellatur et μία, primum eius diem innuit. Syrus interpres transtulit:  et in die, qui (unus) primus in hebdomade. Mīa pro πρώτῃ saepius inuenitur in Codice sacro. Ioann. XX, 1. collat. Marc. XVI, 9. Ebraeis etiam haec dicendi ratio est maxime familiaris.  enim apud ipsos non solum unum, sed et primum significat: e. g. Primus dies creationis

tionis, in comparatione secundi, tertii, etc. adpellatur זְהַרְתָּא אַחֲרֵי בְּשַׁנְתִּים דָּרוֹת in anno primo, Efr. V, 13. דָּרוֹת per Aphaeresin proponitur Dan. II, 31. Ez. XXXIII, 30. Conueniebant Christiani die primo hebdomadis, qui est dies Solis, frangere panem, i. e. sacra coena uti, quam primi Christiani die Dominico, qui ipsis in Sabbathum cesserat, tantum administrabant. I. Cor. XVI, 2. κατὰ μίαν σαββάτων. Syrus: בְּכָל־מָדָם בְּכָל־ in omni primo (scil. die) in hebdomade. Apostoli die Solis opera sabbatica peragunt. Praecipua uero opera sabbatica sunt opera pietatis et caritatis. De operibus pietatis, inter quae eminent praedicatio uerbi diuini, testatur LVCAS Act. XX. Ex quo loco nimis manifestum est, christianos die Solis sacros egisse conuentus, et uerbum diuinum audiuisse, quod PAULVS eo die praedicauit. Inter opera caritatis primum locum obtinent eleemosynae, harum collectio et apud Iudeeos die sabbatico est facta. a) Mentio fit I. Cor. XV. Eleemosynarum, quas Iudei et primi Christiani diebus sabbaticis colligebant et distribuebant, ut inde colligere liceat, ipsis diem Solis seu primum in hebdomade tunc fuisse sabbaticum. Sabbathum, cuius ibi mentio fit, inter gentes conuersas fuit celebratum, inde rite subsumo, diem Dominicum fuisse, quia Apostoli haudquaquam gentes caerimoniis onerabant. Iudeis quidem ex libertate Christiana indulgebatur Sabbathum Iudaicum, celebrabant tamen simul diem Dominicum Iudei credentes cum caeteris Christianis. Nolebant Apostoli genti Iudeorum paternarum traditionum tenacissimae esse offensioni, caerimoniis subito sublatis; sed Mosen caerimoniarium Magistrum cum honore sepelire. Synagoga enim usque ad Christum uixit, Christo moriente mortua est, ulque ad excidium urbis honeste habita, cum ipsis urbis cineribus, destructo templo ac hostiis deficientibus, sepulta. Patres ipsi multa dexteritate insignes, idem de mutatione Sabbati Iudaici et die Dominica, unanimi consensu testantur. IGNATIUS, IOANNIS discipulus, saeculo I. et circa auspicia II. inclaruit. Hic apostolicarum constitutionum adhuc memor, inquit: *Nos sabbatissemus non more Iudaico, ueluti otio gaudentes, sed pro Sabbatho omnis φιλόχειρος Dominicum celebret diem, diem resurrectioni Dominicæ consecratum, reginam et principem*

a) Vid. HOTTINGERVS in *Primit. Heidegg.* p. 324.

pem omnium dierum. b) IVSTINVS MARTYR saeculo II. A Christo Apostolos accepisse huius diei celebritatem, affirmat, c) ATHANASIO d) saeculo IV. idem testante. Nec non AVGVSTINVS confirmat, hunc ipsum diem ab Apostolis seruatam institutam ac commendatam fuisse. e) Idem Hipponensium Praesul: Domini resuscitatio, inquit, consecravit nobis diem Dominicum, qui Dominicus vocatur, quia eo die Dominus resurrexit. Serm. XV. de uestib. Apostoli. Huic CHRYSOSTOMVS etiam assentitur, aiens: dicta est haec dies, dies panis et lucis, quia in eo nouimus panem resurrectionis coelestis, in quo fugerunt mentis tenebrae. f) Symbola religionis g) quidem Diem Dominicum ab Ecclesia ordinatam esse pronunciant, ut inde nonnullis dies Dominicus constitutio ecclesiastica audiat; non uero iam iam plantatam, sed Apostolicam intelligunt ecclesiam, quae tanta auctoritate omnino polluit.

§. II. Operae pretium erit, rationes ponderare, quas ob primi Christiani, Sabbatum Iudaicum abrogare et in aliud diem transferre potuerunt. Iam iam olim in primaeva ecclesia haec disputata commemorantur, cum propter Iudeos, a Iesu Nazaraeno legem solutam criminantes, tum p: opter Sabbatarios Iudeorum Sabbatum Christianis quoque necessario obseruandum docentes, indeque duo Sabbata, Iudaicum et Christianum, in hebdomade celebranda censentes. Inclaruerunt inter eos Ebionitae, Cerinthiani, Apollinaristae, EPIPHANIO et EVSEBIO testibus. h) Iisdem etiam ueteres nonnulli Christiani, praesertim in Oriente suffragantur, Sabbatum et

H

diem

b) Epist. III. ad Magnesios.

c) In Apolog. II. ad Antonium, Imperatorem.

d) In Sermone de Semente p. 721.

e) Sermon. CCLI. de Tempore et Lib. XX. de Cinitate Dei c. XXX.

f) Homil. V. de Resurrectione. De Patrum consensu in his uid. CALVÖR. in Ritual. Eccles. P. II. p. 234. seq.

g) Augustana Confessio art. ult. p. 42. 43. nec non Apologia eiusdem p. 152. Notetur, cum Ecclesiae auctoritas in Symbolis nominatur, Apostolica Ecclesia non excluditur, sed a Beatis Confessoribus intelligitur, quia ab ista, Ecclesia dependet. Idem iam monuit DANNHAVERVS in Collegio Decalog. p. 530. et KROMAYERVS in Commentario in August. Confessionem p. 430.

h) EPIPHANIVS Haeref. XXX. NICEPHORVS Hist. Eccles. Lib. III. c. XIII. EVSEBIUS Lib. III. Hist. Eccl. c. XXI.

diem Dominicum una sanctificantes, id quod SOCRATES memoriae prodidit. *i)* Constitutiones Pseudo-Apostolicae etiam mandant, *ut festa sint cuiusque septimanae, Sabbatum et dies Dominica.* *k)* Immo GREGORIVS NYSSENVS grauiter eos castigat, qui Sabbato Iudaico non patrocinantur; *Quibus, inquit, oculis diem Dominicum intueris, qui despiciens es Sabbatum? an nescis, hos duo dies, Dominicum et Sabbatum germanos esse, et si in alterum iniurius sis, te in alterum quoque impingere.* *l)* Hisce insidiis libertati Christianae structis ipse iam CONSTANTINVS, Imperator, obicem posuit, et Sabbato Iudaico remoto, diem Dominicum peculiari constitutione facculo IV. ad Sabbati sacra celebranda confirmavit, id quod EVSEBIUS tradidit, *de Vita Constantini, Lib. IV. cap. XVIII.* Recentiori aeuo in orbe Christiano etiam non defuerunt, qui Sabbatum Iudaicum necessario adhuc celebrandum uehementer efflagitarunt. *GVLIELMVS AMESIVS, m) FRANCISCVS IVNIVS, n) ANTONIVS WALAEVS, o) IACOBVS ARMINIVS, p) GEORGIVS SCHOENFELD, q) Caluinianorum Theologus, CAROLOSTADIVS, r) teste ALBERO,* nullum plane diem festum, praeter Sabbatum colendum, arbitratus, Iudeis hic pollicem premunt, nubem pro Iunone sane amplexi. Caerimoniale enim et morale in Sabbato non rite determinarunt. Morale est, ut in hebdomade quispam septimus dies cultui sacro literatur. Caerimoniale uero non latet in ipso Sabbato, quam potius in Sabbati circumstantia, quatenus scilicet dies, ab egressu Aegyptiaco septimus ad Sabbati sacra disponebatur. Sub hac enim circumstantia et hoc pacto, Sabbatum a PAVLO inter umbras refertur, illaque circumstantia ac umbra in N. T. praesente eius corpore, cessauit ac desit. Coloss. II, 16, 17. Ebr. X, 1. Schola caerimonialis in Nouo Foedere rite clauditur. Meliori enim oeconomia, Nouum Testamentum gaudet,

*i)* Hist. Eccles. Lib. VII. cap. XXIV.

*k)* Lib. VII. cap. XXIV.

*l)* In Oratione aduersus eos, qui castigationes aegre ferunt.

*m)* In Medulla Theol. Lib. II. c. XV.

*n)* De Politiae Mosaicae Obseru. c. V III.

*o)* In Dissert. de IV. Praeceplo cap. V.

*p)* In Disputat. priuatis, th. LXXVII. §. X. XI. et in Disputationibus selectis P. III. p. 1232.

*q)* Vid. MENZERVS Disput. Gieffens. disp. I. p. 37.

*r)* Vid. BAKIVS in Catechesi Lutheri p. 20.

det, et liberationis spiritualis per Messiae resurrectionem, absolutae diem, ad Sabbathum rite constituit, quae circumstantia Sabbati Christiani, Iudeorum Sabbatho conuenienter respondet, ut omnino hic persuadear, diem V. T. sabbaticum ab egressu ex Aegypto septimum, omen ac typum fuisse, diei ab resurrectione Christi leptimi, ad Sabbathum in N. T. constituendi. Merito itaque caerimoniale Sabbathi ex orbe Christiano proscribimus, ne corticem nimii facientes, nucleus perdamus, umbramque tantum beneficij anhelantes, promissio priuemur beneficio.

§. III. Iudeos, quod attinet, operosior illa disputatio est et difficilior, quippe quae ex solo Veteri Testamento instituenda. Ad sunt tamen et hic in Annalibus sacris argumenta haud nihili aestimanda, quae Iudeorum pertinacem opinionem, imis ruere fundamentis, et in fumos abire clarissime ostendunt. Diem Iudeorum sabbaticum non esse absolutae necessitatis et iuris positui moralis, inde apparet, quod Ecclesia ante Mosem, diem ab egressu septimum haud celebrauerit. Ipse enim dies, ad ipsam Iudeorum rempublicam post egressum ex Aegypto dispositam, erat alligatus, quae ante Mosem plane non exsistit. Quodsi Ezech. XX, 12, 19. euoluimus, egregie in hoc erudimur. Nam Deus, *Sabbata mea*, inquit, *dedi*, *ut essent in signum inter me et uos, ut sciatis, quod sim יְהוָה Deus uester*. Vox יהוה hic innuit beneficium eductionis ex Aegypto, illo scilicet ostendit Deus, se esse *Iehouam*, seu eum, qui promissis optime steterat. Nunc autem extincta Iudeorum republica, dies quoque sabbaticus Iudeorum aboletur, cum omni cultu leuitico. Dan. IX. Sceptro Iudeorum ablato, deperditis Tribuum annalibus, Tribubus, obliuione commixtioneque confusis, omnis reipublicae imago ac facies nunc evanuit. Dies iste Iudeorum sabbaticus, fuit quidem *signum disiunctuum Israëlis a gentibus*, sed ideo ad illud duntaxat tempus seruandus, quoad durauit distinctio Iudeorum a gentibus, neque e propriis pulsi fuerunt sedibus, ut alieno seruirent imperio. Ipsa Iudeorum Glossa restringit hoc praeceptum de Sabbatho ad solos Iudeos: *Et quid est, dedit uobis Sabbathum? quia uobis scilicet Iudeis dedit, non gentibus.* <sup>s)</sup> Idem etiam sentit R. IOHANAN, GALATINO teste, l.c. aliam Glossam citans: *Omne praeceptum, quod dedit Deus san-*

<sup>s)</sup> Vid. GALATINVS, Obseru. Lib. XI. de Arcan. cath. c. IX.

*sanc*tus Israeli, dedit eis publice, praeter Sabbatum, quod dedid*eis secreto, sicut dictum est Exod. XXXI. inter me et inter filios Israeli.** Quod si ita est, non obligantur *יְהוָה gentes ad Sabbathum.* Ipse Iosephus, rerum Iudaicarum ebuccinator, sabbarorum legem saepe uocat, *τὸν πάτεριν νόμον.* Hi omnes tamen non de quiete et cultu sabbatico differunt, sed diem Sabbati Iudeis peculiarem fuisse affirmant. Sabbati mandatum igitur non totum Morale, sed Caerimoniale etiam aliquid habuit admixtum, quod possit mutari et reapse aduentu Christi omnino fuerit mutandum, id quod ex allegato loco contra Iudeos alucinantes satis fuit ostensum. Sabbathum enim recensetur inter signa diuina, quae sua natura sunt mutabilia et accedente Numinis dispositione et dispensatione, reipsa saepe mutantur.*

§. IV. Ipse iamiam ieremias c. XXXI, 31, 32. nobis patrocinatur, *de foedere diuino mutando uaticinaturus.* Mutato enim foedere ipso, signum foederis mutationis haud poterit esse expers. Quamuis hic non ipsum foederis essentiam, huic mutationi expositam esse existimem. Dei foedus uicissitudinis ac mutationis iniuriis non distorquetur, Exod. XXXI, 16, 17. aeternum est ac immutabile, unum semper et idem, nonsolum ratione mediatoris foedus ferientis, et partium contrahentium; sed et ratione bonorum praecipuorum, quae in foedere fuerunt promissa. Necesario igitur, ut mutatione in *accidentalibus* foederis delitescat, nimirum in modo dispensationis et in modo cultus caeremoniali. Idem approbat oraculum de omni cultu diuino sabbatico mutando Dan. IX, 27. Cultu namque diuino mutabili, maxime dies mutabilis erit, quia dies tantum ad externa cultus pertinet.

§. V. Suppeditantur alia quoque argumenta, quando Sabbati praeceptum, non in totum morale, sed qua diem in hebdomade determinatum, mutabile esse disputatur. Ipsi nequidem Israelite diem ab egressu ex Aegypto, aut a creatione praeclipe septimum, post tempora losuae sanctificarunt uel sanctificare potuerunt. Sol declivis occasui, per aliquod temporis spatium commorabatur. Liquest istud ex Iosuae capite X, 13. Et expectauit Sol et Luna t) constituit, donec se

t) Nec incongruum dictu est, Lunam etiam simul tunc temporis stetisse et quietuisse. Lunae enim curriculum metitur noctem. Quodsi autem Luna iter

*Se ulcesceretur gens de inimicis suis, nonne hoc scriptum est in libro iusti? Stetit ergo Sol in medio caeli nec festinavit occumbere קומת הארץ circumiter die integra.* Hanc diem, Iudeorum nonnulli, ad horas XXXVI. alii ad XLVIII. protrahere solent. Sic IVSTINVS MARTYR in Dialogo cum TRYPHONE diem illum producit μέχει ὥρων τετάνοντα εἰς. Siracides sane, unum illum diem, bidui spatium fuisse edocet. Etenim πάλι, inquit, ημέρα ἐγενέθη πρὸς δύο. Sir. XLVI, 5. Praetermitto ea, quae ipsi Iudei super die protracta tempore Hiskiae edisserunt, existimantes, solem, quum iam peruenisset ad decimam lineam, adeoque iam horas decem absoluisset, totidem horas exegisse sensim, primam lineam repetendo, ab ista uero rursus ad duodecimam lineam, h. e. ad occasum progressum esse, quae omnia XXXII. horas conficiunt. 2. Reg. XX. Omni autem dubitatione licet haud maius videatur, utrum posteriori hocce loco sol cum tanta mora retrocesserit, an citius; ex opinione tamen Iudeorum liquet, inde a temporibus illis, haudquam diem praecise septimum a creatione aut egressu fuisse sanctificatum. Quodsi itaque in septimi diei praecise a creatione numerati quiete, Sabbati sanctificatio inniteretur, periit ipsis Iudeis iam pridem Sabbati religio. Obgannient forte, miraculum hic uires naturae superans, obuim esse, et Deum ipsum mutasse hanc seriem; sed id ipsum contra eos militat, quia Numen, non habita ratione septimi numeri a creatione, grata habuit Sabbathi sequentia, nec dubitauit curriculum diei illius septimi, miraculo commutare iustoque longius extendere.

§. VI. Quodsi praeceptum de septimo die sanctificando, in totum morale esset, nullibi sine criminis reatu posset omiti, neque eius rigorem relaxare Deus potuisset. Moralia enim stricte talia sunt iuris aeterni et immutabilia. Quodcumque enim omnino non licet, semper non licet, nec necessitate mitigatur, quo, admissum, non obfit. Multoties post, praecepto de sanctificatione Sabbati dato, a Iudeis ipsis Sabbathum fuit solutum, neque tamen saepe id, illis uitio diuinitus fuit uersum. Gens Ebraeorum propter continua seruitia in

H 3

Aegypto

iter suum tunc naturaliter absoluisset, confusio esset orta in die ac nocte, cursu Solis per integrum diem impedito. Inde necesse erat, ut Luna etiam infra terram tunc noctem illuminans, progredi cessaret cum Sole.

Aegypto die septimo feriari nunquam potuit. **GALATINVS** <sup>u)</sup> com-memorat ex R. ELEAZARO, quadraginta annis, quibus populus in deserto circumerrauit, non nisi primum Sabbatum, ab illis sanctifi-catum fuisse. Ipsi Iudei, urbem Iericho, die Sabbati expugnatam afferunt, immo hoc die pugnant Israëlitae et decernunt cum Syris. **I. Reg. XX, 29.** Hic tamen merito diem septimum et cultum sab-baticum distingue. Addere hic lubet, non sine causa Deum uoluisse, ipso Sabbato Iudaico Hierosolymas cum templo funditus ex-scindi, quo ipso satis innuitur, Deum Sabbath Iudaica, una cum templo et caerimoniis uelle sublata. Sabbath deuastationem templi secundi factum docent cum veteribus, **SCALIGER**, **PETAVIUS**, alii-que non obscuri nominis temporum computatores. **SPANHEMII** <sup>x)</sup> sententiam de non celebrato septimo Sabbathi die, cum Iudei in locis desertis adhuc uagarentur, quod attinet, ea a ueritatis uicinia paullisper aberrare uidetur. Canonis enim sacri auctoritas aliud plane inculcat. **Kat' ἀνθερῶν** quidem hoc argumentum contra Iudeos incaute credulos, in certaminis arenam producere possumus, cum Sabbathi celebrationem in desertis omissam sentiant; **Kat' ἀλη-θεας** autem eorum opinionem, quae omne caerimoniale in Sab-bato pernegat, his armis oppugnare non licet. Volumina sacra cultum sabbaticum Aegypti seruitiis impeditum, in itinere per loca deserta restauratum celebratumque fuisse testantur Exod. XVI. Pro-fanatore Sabbathi ibidem die septimo, lignatum castra egrediente, ad supplicium dato, liquet, Israëlitae die septimo a laboribus in itinere uacasse, Sabbathumque celebrasse, de quo diuinus Amanuensis Moës **Num. XV, 32, 33, 34. seq.** nos reddit omnino certiores.

**§. VII.** Moralia paecepta stricte sic dicta sunt legis naturae, conformia imagini diuinæ, notionibus boni et mali, honesti et iniusti et ita legibus naturalibus innituntur, ut per se faciant ad bonos mores, ideoque juris aeterni sunt ac inuiolabilis. Tale aliquid autem non est determinatio septimi diei, quippe qui *ex se* et *secun-dum se*, consideratus, nec bonus uel sanctus, siue consideratus *com-parate*, haudquaquam melior determinatione alius diei, nisi ob so-lam auctoritatem paecipientis, cui integrum ac liberum fuisse, ut alium

<sup>u)</sup> Lib. XI. cap. X.  
<sup>x)</sup> In Dubiis Euangel. Tom. III. Dub. CXIV.

alium locum, sic et tempus aliud, ad publicum cultum Iudeis in-  
iungeret. Nefas omnino habetur, moralia praecepta transilire et  
ob aliquam necessitatem violare. Septimi autem diei otio et sancti-  
ficationi, uaria intercedere possunt, ut omittatur ac competerendine-  
tur. Non sine caussa Deus singulari ratione hoc praeceptum fanciuit,  
rationem addens, ob quam praecipiat septimi numeri obseruationem,  
quietis uidelicet suae a creatione considerationem, adeoque eo ipso  
ostendit, hoc nec per se bonum, nec *moralē* esse. Neque hoc prae-  
ceptum ideo totum morale uidetur, quia decalogo fuit insertum.  
Satis est, aliquid illius praecepti morale esse, et id quidem, quoad  
principium in praecepto et in substantia praecepti, ob quod totum  
praeceptum inferi decalogo debuit. Distinguenda enim *res* praecep-  
ta, et *circumstantia rei*. *Res* praecepta moralis est, circumstantia  
rei uel caerimonialis, uel mere *positiva* positiua. Praeterea ueritati  
haud consonum, omnia illa praecepta moralia esse, et aeterna,  
quae ante caerimonias, immo ante lapsum fuerunt data. Nam et  
ante lapsum praecepta quaedam sunt data mere *positiva* pendentia  
haud a natura rerum; sed a mera voluntate legislatoris, qualia ista,  
quae de arbore uitiae et de arbore scientiae boni et mali, homini  
publicabantur. Adde et ea, quae de sacrificiis, animalibus mundis uel  
immundis, de circumcisione et aliis id genus traduntur ante legem  
per Mosem ritu solenni latam, quae ob id non desinunt esse mere  
positiva et caerimonialia, nec naturam moralium induunt. Quodsi  
caerimoniale pro *mutabili* et lege particulari sumitur, tunc dicere  
omnino possumus, ante Mosem caerimoniale in Sabbato fuisse, diem  
a creatione praeceps septimum. *Res* praecepta [quae tota moralis]  
est  $\alpha$ ) cultus sabbaticus  $\beta$ ) tempus cultus determinatum. Posituum  
consistit in numero septenario. Circumstantia rei est dies a creatio-  
ne aut ab egressu ex Aegypto praeceps septimus. Neque inde differen-  
tientes aliquid praesidii nanciscuntur, quando dies Iudeorum  
septimus fines morales habuisse asseritur. Non solum enim caerimo-  
niales fines habuit praefixos; sed et rationes morales caerimonialibus  
praeceptis adiunguntur. Haudquaquam tamen ob id, natura illorum  
mutationi exponitur, quum caerimoniae etiam ad finem moralem  
ordinari possint. Caerimonialia praecepta fines morales habuisse,  
multiplici eorum applicatione docet MAIMONIDES in eruditissimo  
Opere suo, ubi pleraque praecepta caerimoniis inuoluta etiam ad  
fines

fines refert morales illisque morales rationes assignat. In sacris Annibus Deus non sine causa in pracepto tertio, non fecit mentionem diei septimi, innuens, ipsum cultum sabbaticum a die septimo Iudaeorum, omnino esse distinguendum, ne morale cum caeremoniali confundatur, ut potius ipsum cultum, quam diem quendam septimum cultui destinatum, necessarium existimemus. Quod si determinatus dies, seu dies septimus, ad morale Sabbati pertineret; in uita eterna, seu Sabbato futuri saeculi, etiam eius esset habenda ratio. Nam moralia pracepta, sunt iuris uniuersalis. Quis autem tam indulgeret ineptiis, ut istud afferat. In uita enim coelesti nullae sunt dierum uicissitudines, nullae noctis ac lucis uicariae mutationes, ibi potius perpetua lux, haud tenebris diuisa ac interrupta. Vnicum adhuc monemus, eos qui praecemptum hoc, secundum se totum morale esse inter Christianos contendunt, uix e Iudaeorum obiectionibus se expedire posse, nec illis rationem reddere solidam, aboliti diei septimi et translati Sabbati, ab uno die in alium.

§. VIII. Gens Iudaica quidem multa de operibus Sabbato non faciendis tradidit, ut nec pulicem hinc inde saltantem, nisi pungat, liceat uenari, neque lectum sternere etc. sed bullatae sunt rugae inaniaque argumenta, quorum multa GLASSIVS y) iam iam recentiuit. Illud tantum adhuc exponam, nimiam olim Iudaeorum fuisse religionem, quando ab hostibus oppugnati die sabbatico, bellare desisterent, immane eum admisisse piaculum opinantes, qui hoc ipso die, hostibus ad portas appropinquantibus, ad arma clamaret, aut classicum caneret, aut gladium stringeret, ut potius mucronibus hostium sponte porrigerent ceruices, quam cum ipsis hoc die decernerent. Periculo vero huius opinionis a MATATHIA MACCABAEO demonstrato, cruenta Iudaeorum strage in Sabbato facta, ad meliorem tunc, teste JOSEPHO, z) nonnulli redierunt frugem. Iure omnino licet hostium insultus die Sabbati excipere, ne uita nostra quiescendo periculis exponatur. Deus nullam promulgauit legem, qua conseruatio uitae humanae, aliquo modo posset impediri; et si impedimento fortasse fuerit, in collisione officiorum, conseruatio uitae est

y) In Rhetor. S. Tract. I. cap. XIV. Plura dabit CASAVBONVS in Exercitationibus contra BARONIVM p. 61, seq.

z) Antiquit. Iud. Lib. XII. c. VII.

est praeferenda obseruationi legis positivae, si transgressio praecepti est unicum uitam tuendi medium. Homo enim non est propter leges, sed leges sunt propter hominem. Non dicam, quod et consueto uitiae, uehementer a Deo sit inculcata, ut homicidii homo se reum faciat, qui uitam suam inter strepitus belli, sine ulla resistentia hostibus opprimendam offert. Ipse Saluator suffragari uidetur, quando Marc. II, 27. afferit, hominem non propter Sabbatum, sed Sabbatum propter hominem esse, ideoque homini in collisione cedere atque posthaberi.

§. IX. Quarerit: An celebratio unius diei in hebdomade sit res mere adiaphora? Resp. Quanquam sint inter Theologos, quorum dexteritas et orthodoxya nunquam fuit suspecta, qui cum B. SEB. SCHMIDIO, WAGNERO, DORSCHEO, aa) idem de Sabbato sentiunt; argumentis autem, quae pro negatiua militant fententia, rite ponderatis; omnino a uiris istis, et si praeclari nominis, dissentire licebit. In Sabbati enim institutione appetat, hoc arctissimo et exempli et praecepti diuini nexu, innuisse Deum, se istum in finem sanctificasse diem septimum, ut homo se conformet exemplo diuino. Idem iam iam B. SCHERZERVS bb) eruditus obseruauit. Sicuti autem benedictio, qua diei septimo Deus benedixit, non ad diem ipsum, sed ad hominem potius est referenda, in quem omnis generis beneficia se collocaturum Numen promisit, tesse omni exceptione maiori Sabbatum propter hominem esse, Marc. II, 27. Christo afferente; ita et sequens uerbum *sancificare*, ad hominem referri oportet, ut homini scilicet praeceperit Deus quietem et cultum diuinum diei septimi. Verba PAVLI Coloff. II, 16, 17. *Nemo uos iudicet in parte festi, aut nouilunii, aut Sabbatorum*; neque septimi diei praecceptum tollunt, neque dissidentibus patrocinantur. Etenim Apostoli uerba cum limitatione sunt accipienda. Loquitur PAVLVS de Sabbatis, quatenus certis circumstantiis Iudeos obligant. B. SCHERZERVS distinguit inter libertatem *modalem* et *realem*, et PAVLVM illam, non hanc afferere monet, ut ad celebrandum Sabbatum obligemur, sed non eo modo, quo Iudei.

## I

## §. X.

aa) Vid. FECHTIVS in Praefatione, quam Commentario Dorscheano in IV.  
Euangel. praemisit.

bb) Ad Breuiarium Hülsemanni c. XII. p. 731.

§. X. Quaeritur: Cur Deus septimo praecise die quieuerit? B. DANNHAVERVS, cc) illustre ecclesiae purioris nomen, coniectat: hexaemeron typum fuisse aetatis mundi, quam multi VI. millibus annorum circumscribunt. KROMAYERVS dd) autem existimat: Deum respexisse opus redemtionis, quo peracto, Christus per totum diem septimum in sepulcro quieuit, ut adeo Sabbathum ratione temporis, figuram ac typum Christi gesserit. Resp. Caussae, ob quas Deus die septimo, non alio, quieuit, inuestigari haud possunt. Creatoris enim in exhaustam sapientiam, creatura ac opificium ipsum metiri nequit, cum a creatore in creationis societatem nemo nostrum fuit assūtus neque consiliarius eius fuerit. Rom. XI, 34. Humanitatis nostrae fragilitatem hic confitemur et ordinem creationis, ut sapientissimum, pie admiramur, ne ultra humanitatis fortem sapere quisquam videatur. Prior sententia Iudaeorum innititur traditionibus ipsique indulgeri potest, si non pertinaciter propugnetur. B. KROMAYERI uero opinio, nimis inculta uidetur. Deus enim quieuit septimo die, homine nondum lapso. Ante lapsum uero non datur respectus ad Christum et N. T. oeconomiam. Accedit ad haec, quod inter diem creationis septimum, et diem quietis Christi in sepulcro, non typica adsit proportio. Evidem Christus quieuit die septimo; sed numerum senarium, septenario respondentem hic nullibi inuenies. Quodsi iusta adesset proportio typica inter Dei et Christi quietem, necesse eslet, ut quietem sepulcralem numero septenario notatam, antecedat operatio numero circumscripta senario.

§. XI. Quaeritur: An dies Dominica sit constitutio humana? Ita sentit degener iste ecclesiae purioris filius, personatus DEMOCRITVS, si ait: „Von Sonntag halten die Pietisten so viel, wie von allen Menschen-Schätzungen, und lassen sich darüber, nach der Bermahnung PAVLI, kein Gewissen machen. Denn sie wollen am Montage so heilig seyn, wie am Sonntage. Daß aber die Feyerung des Sonntags eine Menschen-Schauung sey, kan er bey M. EVSEBIO in vita Constantini M. gewahr werden, dem am ersten im Kopf kommen, den Tag des Herrn Auferstehung wöchentlich mit öffentlichen Versammlungen feyren zu lassen.“

cc) In Laete Catech. P. I. p. 562.

dd) In Commentario in Aug. Conf. Disp. XV. c. II.

„sen. ee) Sed hisce antiquitatis monumenta contradicunt. Nam in Sectione antecedenti fuit ostensum, celebrationem diei Dominici, Constantino esse longe antiquorem. Nam Constantinus non demum constituit diem Solis ad Sabbata et sacra; sed repetit solenni promulgatione constitutionem apostolicam contra eos, qui Sabbati Iudaici adhuc tenaces fuerant. Dies Dominicus auctoritate apostolica ritetur et obseruari meretur, ad constitutionem diuinam etiam referri, si quid sancti uiri, non proprio consilio, sed suggestione et instinctu diuino constituerunt, licet constitutio diuina in Scriptura non claris verbis commemeretur. Immo, si dies Dominicus humana constitutio esset, Martyres eius obseruationem sanguine haud obsignarent et quæsiti: Seruastine Dominicum? respondissent: Christianus sum, intermittere non possum. ff)

§. XII. Nolo prolixius disquirere, quando Sabbatum Christianum incipiat, an a uespera, mediane nocte aut aurora. Nobilioris momenti quaestio uidetur, an totum *υνχθίησον*, an uero dies lucidus sacer sit habendus? Posterius libertati Christianae congruum ac conforme esse DANNHAVERVS gg) docet, cui e Caluino-Reformati SCHOOCKIVS hh) adstipulatur. Etenim sanctificationem Sabbati ab aurora inchoandam et ad uesperem continuandam esse existimat. Sed hisce clarissimis uiris pollicem premere dubito. Tempore enim hyemali, quo dies octo aut nouem horis absolutur, uix tertia *υνχθίησης* pars Deo sic concederetur, hominibusque profanis licebit statim post occasum Solis, ad operas suas reuerti, quin, illas ante lucem exercere. Deus totum diem sine limitatione facrum sibi esse uult, et ideo, salua institutione Sabbati primæua, uel geminam uel dimidiā *υνχθίησης* partem Sabbato detrahere minime licebit. Saltem quam primum euigilamus, mentem deuouere Deo tenemur eique ad somnum usque uacare. In institutione enim primæua dies septimus Gen. II, 2, 3. perinde naturalis est, et totum *υνχθίησον* complectitur, ac dies sex antecedentes, quibus mundus a Deo fuit creatus.

I 2

Haec,

ee) In unparthenischen Gedanken über eines so genannten Schwedischen Theologen kurzen Bericht von Pietisten.

ff) Vid. SEELIGMANNI Dissertatio de Sabbato.

gg) In Collegio Decalogico p. 546.

hh) In Exercit. uar. Exerc. IX. §. VIII.

**H**aec, quae in sacro Codice obseruantur de eximio arguento, ingenue sic publicare neutiquam dubitau. Dixi autem neque omnia, neque nihil. De singulis operose differere atque argutias ferere, meum haud est, nec cuiusquam sani hominis. Non enim coelestem sapientiam in has mortalitatis angustias e sublimi detrahere licet. Si quid autem hic a Scriptura sacra, a pietate, a ueritate dissonum et alienum fuerit dictum, me illud non solum indicatum, sed et expunctum uelle testor. Tu autem, **BENEVOLE LECTOR**, benedictis fauorem, alucionationibus ueniam ac aequitatem illam indulge, commoda, largire, quam Tibi in arguento simili indulgeri et commodari optas, et illud attende, hominem natura ad lapsum pronum esse, ad censuram proniorem, nosque ab hisce humanitatis nostrae angustiis imbecillitateque non prius liberari, nisi quem animae nostrae ad coeleste transierint

Sabbatum.

*Errata typographica, quum sint admodum pauca et levia, BENEVOLVS  
LECTOR ipse corriget.*



INDEX



# INDEX RERVM.

## A.

*Adamus* maioris perfectionis fuit capax. p. 18. 19.

- ad coeleste Sabbathum est creatus. p. 17. - 21.

*Adamum* non fuisse creatum ad resurrectionem mortuorum, probatur contra R. IARCHI. p. 20.

*Anno sabbatico* mysticus nutus non denegatur. p. 23.

*Anni habitationis* Israëlitarum in Aegypto distinguendi sunt ab annis *Jeruitutis*. p. 44. 45.

*Augustanam Confessionem* diem Dominicum non adpellare constitutionem mere ecclesiasticam probatur. p. 57.

*Augustini* testimonium de Sabbatho mystico. p. 4. 41.

## B.

*Beati* contemplabuntur damnatorum cruciatus. p. 27.

*Benedictio* dicti septimi, non ad diem, sed ad hominem, est referenda. p. 65.

## C.

*Caerimoniale* Sabbathi determinatur. p. 63.

*Caerimoniale* pro mutabili sumitur. ibid.

*Caerimonialia* praecpta fines morales habent. ibid.

## D.

*Dauidis* uictoria super Goliathum mystice exponitur. p. 49.

*Dei nomen* loco praedicati in sacris positum innuit perfectionem.

p. 24. 32.

*Diem Dominicam* ab Apostolis institutam esse, Patres primorum saeculorum testantur. p. 57.

¶ particula, teste KIMCHIO, indicat continuationem. p. 25.

*Dominicae diei* in sacris fit mentio. p. 55. 56.

- constitutio ad Sabbathum fuit licita. p. 54.

*Dominica die* Apostoli peragunt opera sabbatica. p. 56.

*Dominica dies* non est constitutio humana. p. 66.

*Dominicae diei* celebrationem non constituit Constantinus M. p. 67.

- *vux̄t̄μεροv*, an totum sit sacrum, exponitur. ibid.

## E.

*Ecclesia militans* in terra est typus triumphantis in coelo. p. 28.

*Enallage* est typi cum antitypo si uita eterna Sabbathum adpellatur. p. 33.

## F.

*Fluuius sabbaticus* est Iudeorum figuramentum. p. 4.

*Flunii sabbatici* descriptioni a IOSEPHO traditae, contradicit PLINIVS. p. 4.

*Fugam in Sabbatho* a suis deprecatus Christus, respicit uiae sabbaticae praeceptum. p. 9.

### G.

*Gentilium Sabbatho.* p. 47.

### I.

*Ieiunant Iudei bis in hebdomade.* p. 8.

*Irit,* quomodo sit signum gratiae, explicatur. p. 51.

*Iridis uarie colores* a LVTHERO expli- cantur. ibid.

*Iudei Sabbathum* in Aegypto non potuerunt celebrare. p. 61.

- in quiete sabbatica sunt superstitioni. p. 64.

- contra hostes Sabbatho pugnare a Matathia docentur. ibid.

- mysticum Sabbati significatum non ignorarunt. p. 41.

*Iudeos Sabbathum* in desertis celebrasse contra SPANHEMIVM vindicatur. p. 62.

- non habuisse diem a creatione aut ab egressu praecise septimum, probatur. p. 60. seq.

### L.

*Lampades sabbaticae*, lucem coelestis Sabbati adumbrant. p. 39.

*Liberatio per Christum spiritualis*, Sab- bato Iudaico præfiguratur. p. 48. 50.

*Liberationis spiritualis* typica adumbratio, accidentalibus et circumstantiis Sabbati tantam innititur. p. 50. 51.

*Luna necessario* stetit tempore Iosuae. p. 60. seq.

*Lux sabbatica* in uita aeterna est Deus et Agnus. p. 40.

### M.

*Mia pro πρώτη sumitur in Sacris.* p. 8. 55.

*Mυσικός*, ab aliis a μύω, ab aliis a μυέω deducitur. p. 5.

*Mύω* proprie de ore ac labris, quando clauduntur, adhibetur. ibid.

*Mύω* sacra et occulta docere significat. ibid.

*Mύέω* a *Mύω* deriuatur. p. 6.

*Mystici dies*, quid sint apud ueteres, traditur. ibid.

*Mysticus sensus*, quid et quotuplex sit, exponitur. p. 6. 7.

- est uel explicitus, uel implicitus. p. 29.

- a Spiritu S. intentus, non est accommodatio nuda. p. 34. seq.

### N.

*Naturale*, dupli sensu sumitur uel essentialiter, uel subiective. p. 16.

### O.

*Oculis more Gentilium Iudei colunt idola.* p. 42.

### P.

*Prophetæ sub corporalibus beneficiis* saepe de spiritualibus et maioribus uaticinantur. p. 27. 28.

*Πέρι ἀγῶνος* historica in Sabbathi præcepto non est. p. 15.

*Quies*

## Q.

*Quies Deo αὐθεωποναθῶς* tribuitur.

p. IO. II.

*Quies aeterna*, non est merum otium,

p. 37.

- in essentialibus, non ita in accidentalibus Sabbati, praecise praefigatur. p. 33.

*Quietem et cultum* in Sabbatho non separanda esse, vindicatur contra GROTIUM. p. 37.

## S.

*Sabbati uox* deriuatur a θεῷ, quietuit.

p. 7.

- falsam deriuationem tradunt PLATO et LACTANTIUS. ibid.

- praeceptum, quomodo naturale potest adpellari. p. 16.

- mystica conuenientia cum uita aeterna. p. 35-37.

- terreni circumstantiae quaedam, adumbrant circumstantias coelestis Sabbati. p. 38. seq.

- initium numerabatur a Sole occidente. p. 38.

- Iudaici legitima abrogatio probatur. p. 58. seq.

*Sabbaticum* Iudeorum diem Iudeos tantum obligare, docent Rabbini. p. 59. 60.

*Sabbatica nocte* paterfamilias pro beneficio liberationis ex Aegypto gratias Deo agebat. P. 47.

*Sabbatum* ponitur pro quolibet die festo. p. 8.

- synecdochice pro hebdomade. ib.

- pro sacrificiis Sabbatho immolatis. ibid.

- iam ante lapsum et non demum post egressum ex Aegypto institutum fuisse, vindicatur. p. 14. 15.

*Sabbatum ex Sabbatho*, Es. LXVI, innuit perpetuum Sabbathum. p. 24.

- contra VITRINGAM probatur.

- esse typum coelestis quietis probatur. p. 27-30.

- vocatur foedus aeternum. p. 30. Σαββατουρμὸς Paulinus, AGT. IV. agit de quiete coelesti. p. 33. seq.

Σαββατοὶ ἐπέφωσκε, Luc. XXIII. quid sit, exponitur. p. 39.

*Sabbatum* refertur ad umbras leuiticas. p. 65.

- Iudeorum incidit in diem ab egressu ex Aegypto septimum. p. 45. 46.

- Iudaicum cum die Dominica adhuc celebrandum esse, docent non nulli ueteres et recentiores. p. 57. 58.

*Sabbato* licet pugnare contra hostes. p. 64.

*Sacramentalem* uim Sabbathum non habere, probatur contra WITSIUM et SPANHEMIVM. p. 47. 48.

רִבְעֵי et כִּמְנֻרִי quibus Sabbathum in Scriptura praecipitur, non esse infinitius loco imperatiui positos, sed per ellipsis explicanda, docetur. p. 10.

*Septimus dies sine uespere*, AVGUSTINO est quies sine fine. p. 4.

- in se non est sanctus. p. 62. seq.

- cur a Deo sanctificatus. p. 10.

Septimi

*Septimi diei religio a iure naturae non quidem praecipitur, ceterum aequa tamen tacite approbat. p. II.*  
*- colendi praeceptum esse legem positivam uniuersalem, non caerimonialem contra CHEMNITIVM et alios probatur. p. 12-16.*

*Septimi cuiusdam diei in hebdomade celebratio, non est res adiaphora. p. 65.*

*Septimum creationis diem non esse typum resurrectionis Christi, contra KROMAYERVM vindicatur. p. 66.*

*Sex creationis dies apud Rabbinos, aetatem mundi, septimus aeternum saeculum indicant. p. 41.*

*Septenarius numerus in sacris perfectam quantitatem ac sufficientiam indicat. p. 42.*

*Septem millia tempore Eliae inter Baalitas seruata, non fuerunt numeros praecise determinatus, sed septem hic loci pro sufficienti ac multo sumitur. p. 42.*

*Septimum inter diem creationis et diem resurrectionis Christi, non est proportio typica. p. 66.*

*Silentium magnum in templo Hierosolymis inter sacra. p. 37. 38.*

*Signum religionis est Sabbatum. p. 44.  
 - liberationis ex Aegypto. p. 44.45.*

*Σκιὰ et εἰσάρνη, umbra et imago, sunt termini pictorum. p. 48.*

*Sol sterit XXXVI. horas tempore Iosuae. p. 61.  
 - retrocessit tempore Hiskiae. ibid.*

## T.

*Τελετὴ et ἐπιτολέω sunt uocabula hieratica. p. 6.*

*Templum secundum Sabbatho est deuastatum. p. 62.*

*Tribus decem Israëlis prope fluum captiuas detineri, docent Iudei. p. 4.*

*Tuba est typus praedicationis euangelicae. p. 40.*

*Tuba sabbatica adumbrat tubam aeterni Sabbathi. ibid.*

*Typica Sabbathi ratio rite constituitur. p. 17.*

## V.

*Via sabbatica est uel maior uel minor. p. 8. 9.*

*Viam sabbaticam uertit Syrus septem stadia. p. 9.*

*Viae huius dubia et contradic̄tio inter JOSEPHVM et N. Test. soluuntur. p. 10.*

*Apud Ebraeos non solum conuertit, sed in coniunctionem cauſalem quandoque etiam euadit. p. 24.*







911554

ULB Halle

005 302 684

3





B.I.G.

Black  
3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Centimetres  
Inches

Farbkarte #13

D 799 81  
M. IO. CHRISTIANI SCHVLZII

BORGESDORFFIO-SAXONIS.

# SABBATVM IDQVE IN PRIMIS MYSTICVM

IN QVO

I. NON SOLVM EA QVAE CIRCA SABBATVM  
SELECTIORIS SVNT ARGUMENTI  
TRADVNTVR

II. SED MYSTICAE QVOQVE POTISSIMVM  
SABBATI RATIONES AC RECONDITI NVTVS  
QVI SVBLIMIOREM OMINANTVR QUIETEM  
E SEDIBVS CRITICIS STUDIOSE  
ERVVNTVR



58 1554  
VITTEMBERGAE  
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA  
MDCCXL

